



1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesiae.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

Propositiones

DE VERBIS IEHO-
VÆ, EXOD. XX. NON FACIES TI-
bi sculptile, neq; ullam similitudinem eorum, quæ sunt
in cælo sursum, neq; eorum, quæ in terra deorsum,
neq; eorum, quæ in aquis sub terra sunt :
Non adorabis ea neq; coles.

*De quibus, divina adjuvante
Gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE
RVNGIO, SACRÆ THEOLOGIAE DOCTO-
re, & Professore in Academia Vitebergensi, respon-
debit publicè 1. Julij, hora & loco
solitis,

M. HENRICVS TETTELBACH,
Cycnocomæus Palatinus.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

99



ILLVSTRISSIMIS GE-
NEROSISSIMISQVE PRINCIPI-
bus & Dominis,

D. WOLFGANGO WILHELMO,
D. AVGVSTO ET
D. IOHANNI FRIDERICO,
Comitibus Pall. ad Rhenum, Ducibus Baua-
riae &c. Fratribus germanis

ILLVSTRISSIMI ET PIEN-
TISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMI-
NI PHILIPPI LVDOVICI, Comit' Palatini ad
Rhenum, Ducis Bauariae, comitis Veldentiae & Spon-
haemij &c. Domini & Nutritij sui clemen-
tissimi,

FILIIS DILECTISS.

Dominis suis itidem clementiss.

Disputationem hanc humilimæ observantiae
ergò dedicat

alumnus subjectiss.

M. HENRICVS TETTELBACHIVS
Cycnocomæus, R.

Vile quoque pessilli Mini fol. 296. l.

THESIS I.



Nter reliqua Dei erga genus humanum beneficia non postremum est, quod in monte Sina sua voce Israëlitae alloqui, eisdemq; normam aeternae sapientiae ac voluntatis suae publice promulgare non est dedignatus.

II.

Et si enim mentibus humanis per creationem impressa fuit, *Genes. x.*
Legis divinae noticia, luculenta nimirum agnitio veri Dei creatoris, & ardentissimus ejusdem amor, cum summa omnium virium & affectionum harmonia & innocentia conjunctus: *Necessitas promittenda legis.*
Tamen per peccatum primorum parentum horribiles tenebrae mentibus humanis obortae sunt, & multa incendia pravorum affectuum reliquas vires animi totas ita occuparunt, ut non nisi *is.*
Spiritu sancto docente, legem Dei [cujus reliquiae aliquae in cordibus nostris scriptae sunt] recte intelligere & religiose venerari queamus. *Roman. 2.*

III.

Neq; est obscurum quantopere Satanas in pervertenda divinae legis vera sententia, per sua organa desudarit, tum Pharisaeis & Pelagianis opinionibus eandem deformans, tum ejus *Depravationes legis.*
necessitate & praecipis ad Christi meritum extenuandum, atq; ex oculis hominum amovendum pessime abutens.

III.

Sed his corruptelis omisis, hac vice de unica tantum eaq; hoc litigioso seculo renovata quaestione, nimirum de vero intellectu praecipii, quod de imaginibus & idolis loquitur, breviter dicturus sum, ut vera ejus sententia a depravationibus, & *Nostrae Ecclesiae accusantur praeter meritum de idololatriam.*
Ecclesiae Augustanae Confessionis a foedissimo idololatriae & *εικονολατρίας* crimine vindicentur.

V.

Primum omnium verba ipsa, de quibus tractatio sequens instituetur, lectori benevolo attentè meditanda sunt. Sunt autem in Exodo cap. 20. vers. 4. & Deut. 5. vers. 8. *Verba textus.*
Non facies tibi sculptile neq; omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, & quae in terra

terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis
neq; coles ea, Ego sum Dominus Deus tuus foris Zelotes,

V I.

In Levitico cap. 26. vers. 1. reperitur hoc præceptum paululum mutatis verbis: Ego Dominus Deus vester: Non facietis vobis omne idolum & sculptile, nec statuam erigatis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut incurvetis vos ei, Ego enim sum Dominus Deus vester.

V II.

Luculentior explicatio ejusdem præcepti extat Deut. 4. vers. 15. Custodite sollicitè animas vestras: Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem ullius simulacri, imaginem masculi vel femine, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, & reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis.

V III.

Hæc sunt verba mandati, quæ ut rectius intelligantur sequentia capita distinctè considerare visum est. *Primò*, Quid Sculptilium & imaginum nomine hoc loco significetur. *Secundò* Quidnam mandato hoc Deus prohibuerit. *Tertio*, De discrimine imaginum prohibitarum & concessarum. *Quartò*, De veteribus certaminibus propter imaginum usum in Ecclesia excitatis. *Quintò*, De Pontificio imaginum cultu. *Sextò*, De Calviniana imaginum abolitione. *Septimò*, De numero & ordine præceptorum Decalogi.

I.

De Explicatione vocum.

I X.

Gramma- *tica spiri-* *tus sancti,* Sæpè monet D. Lutherus, fundamentum omnis tractationis atq; ἐπιλύσεως scripturæ esse, Spiritus sancti grammaticam rectè intelligere, Nisi enim verba in proprio suo sensu dextrè accipiantur, mirum sanè non est, magnas in ipsa ἀναλύσει tenebras & errores ex oriri.

X.

Quod igitur attinet vocabula quibus Spiritus sanctus in descriptione.

scriptione hujus præcepti passim usus est, ea partim à causa effi-
ciente, partim à formali, partim à finali sunt deducta.

XI.

Primi generis sunt פסל Exod. 20. vers. 4. hoc est, sculpti-
le, quod alia forma legitur פסיל, usurpatur ubiq; fere de statuīs *Sculptile.*
ex lapide aut ligno sculptis ac dolatis.

XII.

Hujus generis vox est מטכה Deut. 9. vers. 12. conflatile,
dictum à fundendo, vel quod ex solido auro argentove funde- *Conflatile*
retur, vel quod statua lapidea vel lignea fuso auro vel argento
tegeretur. Significat enim inter alia quoq; operimentum. Ejus-
dem originis & significationis est מטף conflatio Jerem. 51. vers.
17. Esa. 48. vers. 5. Etsi hoc posterius etiam de libaminibus in
sacrificijs effusis alibi usurpatum legitur.

XIII.

Ad hanc classem quoq; referenda sunt תבנית Deut. 4. vers. *Figura.*
16. hoc est, figura, exemplar, deductum à בנה quod est ædifica-
vit, & notat figuram certa proportione dispositam & coagmen-
tata, instar ædificij ex pluribus partibus. יצר figmentum effi- *Figmentum.*
giatum, à formatione sic dictum, quod de idolis usurpatur Ha-
bacuc cap. 2. vers. 18.

XIIII.

Complectuntur itaq; hæc vocabula omnes imagines idola-
triæ inservientes, ingenio, opere atq; artificio humano effectas,
sive ex dolata, sculpta, fusa, ficta, picta vel quocunq; alio mo-
do fabrefacta sint.

XV.

Secundi generis appellationes sunt, quæ ipsam rei imaginē
aut similitudinem exprimunt, ut תמונה Exod. 20. significat *Imago*
vel figuram & imaginem oculis perceptam, vel Phantasma & *mente cõ-*
ideam menti se offerentem. Usurpatur tam de visione intelle- *cepta.*
ctuali veri Dei Num. 12. vers. 8. quam de imagine idoli, sive ea
arte humana effecta oculis se ingerat, sive etiam animo tantum *Imago*
concipiatur. *picta.*

XVI.

Hujus generis sunt מטף Deut. 4. vers. 16. hoc est, similitu- *Similitu-*
do (quæ vox ex Hebræo est deducta) simulacrum alicujus rei do-
mente vel opere externo effigiatum, מטף significat imaginem *Imago.*

tam rei in corpore quam corporeæ, ut homo est conditus Bezelem Elohim, hoc est, ad Dei imaginem, intelligens, liberæ voluntatis, sanctus, innocens, imperans rebus creatis &c. De corporeis imaginibus idolorum loquuntur textus: Num. 33 vers. 52. Amos. 5. vers. 26. 2. Reg. 11. vers. 18. Cognationem hæc vox habet cum voce *צלל* quæ umbram significat.

XVII.

Statua.

Huc pertinet vox *מצבה* id est, statua [à *יצב*] significat omne id, quod memoriæ causa, vel ad rei alicujus significationem statuitur & erigitur: usurpatur tum de monumentis Gen. 35. vers. 20. 2. Sam. 18. vers. 18. quibus statuæ vel insignes lapides imponebantur, tum de statu is idolorum. Lev. 26. vers. 1. 2. Reg. 10. vers. 27.

XVIII.

*Elilim Res
nihil.*

Tertij generis nomina sunt, quæ finem ipsum ob quem imagines vel statuæ erectæ fuerunt exprimunt, qualia sunt, *לילים* Levit. 26. vers. 1. significat propriè vanitatem seu id quod in se nihil est. Paulus hinc transtulit propositionem 1. Cor. 8. Scimus quia idolum nihil est in mundo, Plerumq; Elilim de idolis usurpantur, ut Levit. 26. vers. 1. Esa. 2. vers. 8. Levit. 19. vers. 4. Psal. 97. vers. 7. Est & ab effectu, hinc orta interjectio *לילי* id est vae, quia omnibus qui ad idola confugiunt præmij loco propositus est æternus animi dolor & cruciatus.

XIX.

*Theraphim
simulacra.*

Vsitatum quoq; est nomen *תרפים* Genes. 31. vers. 19. & Hoseæ 3. vers. 4. Erant autem Theraphim simulacra, quæ vel publicè ad aras & in sacellis, vel privatim in domibus ceu penates erant collocata, & quærentibus dabant interdum responsa, Tale simulacrû furata est Rachel parenti suo Laban, Gen. 31. v. 2. atq; etiam Michol uxor Davidis tale domi suæ habuit, 1. Sam. 19. vers. 13. Hinc Dominus ait Zachar: 10. vers. 2. Theraphim locuta sunt vanitates, & Rex Babylonis consuluit theraphim & exta Ezech. 21. vers. 21.

XX.

*Dij
alieni.*

Hæc theraphim in Genesi vocantur *אלהים אחרים* Dij alieni cap. 35. vers. 2. Quæ appellatio Deorum alienorum generalis est, omnibus alijs speciebus imaginum idolatricarum, quocunq; nomine veniant, communis.

XXI.

Est & hoc partim à materia, præcipuè autem à fine deductum vocabulum, quod Levit: 26. vers. 1. ponitur *לִבְשֵׁי אֲבָנִים* Lapis in- quod vulgaris versio reddidit: Non ponas lapidem in ignem. *signis.*
D. Lutherus *Einen Mahlsstein*/ Pagninus, Lapidem pictum ver- tit: Hebraici vocabuli Emphasis, significat lapidem speculatio- nis, eo quod pictura excitat cogitationes in mentibus aspicien- tium.

XXII.

In Novo Testamento universa hæc nomina ex fontibus *Idolum* Hebraicis eruta vocantur *ἰδωλα* Act. 21. vers. 25. Rom. 2. vers. *aliàs ge-* 22. 1. Corint. 8. vers. 1. &c. Significat autem *ἰδωλον* in genere *neraliter* imaginem vel internam, & opinionem in animo de re quapiam *aliàs spe-* conceptam; vel etiam externam, qua representatur forma alicu- *cialiter* jus rei veræ vel fictæ: in specie verò simulacra, vel Deum vel *accipitur.* præstantes & Deo charos viros representantia, quæ cultu & ho- nore afficiuntur, et sic latina appellatio idoli semper usurpatur.

XXIII.

Paulus Rom. 1. vers. 23. vocat *ὁμοίωμα εἰκόνος φθαρτῆς* *Descripio* *ἄνθρωπων, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν,* quando ni- *idolorum* mirum gentiles gloriam veri & æterni Dei commutarunt in si- *gentilium* militudinem imaginis hominis corruptibilis, volucrum, qua- drupedum & reptilium: alludens nimirum non modò ad uni- versam gentilium idolomaniam, qua virorum & mulierum per- sonas Dijs suis tribuerunt: sed in specie ad Ægyptiorum cæcita- tem, sub imagine Apis sive bovis, crocodyli, felis, aliorumque animantium Deum colentium.

XXIII.

Quod ad Germanicas voces attinet, in nostra lingua ap- pellatio imaginum (*Bilder*) generalis est, congruens omnibus *Germani-* imaginibus pictis, sculptis, fuis: sive cultus sive ornatus, sive re- *carum ap-* cordationis causa sint factæ. *pellationū* *distinctio.*

XXV.

Altera vox (*Götzen*) quæ ab inflexione & corruptione ger- manicæ appellationis veri Dei originem videtur traxisse, signi- ficat propriè imaginem mente conceptam, vel quacunq; arte ex- pressam, cui aliquid religionis affingitur, quæq; aliquo pertextu vel propter se ipsam, vel ob *πρωτότυπον* honore afficitur, atq; ita

ita respondet græco & latino vocabulo idoli in strictiori signifi-
cato usurpati, secundum quod non omnis imago idolum est.
Cum tamen contra omne idolum imaginem seu ideam quan-
dam repræsentet.

XXVI.

*Ufus exa-
minis
Gramma-
tici.* Hæc appellationum accuratior consideratio & distinctio
multas novorum reformatorum βεβίλως κενοφωνίας καὶ ἀνθε-
σεως τῆς ἑσθωνύμου γνώσεως in fumos dispellit, eoq; nomine le-
ctori attento non debet esse ingrata.

XXVII.

*Descripti-
ones ido-
lorum.* Cum hoc grammatico examine appellationum conjun-
gendæ sunt descriptiones idolorum, quæ in sacris literis passim
extant, à causis & attributis desumptæ, qualis est, Esa. 40. vers.
19. & 20. Imaginem fundit artifex & aurifaber auro obducit
eam, & facit argenteas catenulas; Qui corradit oblationem, lig-
num eligit, quod non putrescat, & quærit sibi artificem industri-
um, qui paret imaginem, quæ non alteretur.

XXVIII.

*Stulticia
idolopæo-
rum.* Luculentior descriptio stulticiæ idolopæorum extat Esa.
41. & 44. à vers. 10. usq; ad 20. ubi plenè commemorat Prophe-
ta, quomodo fabri ex ligno non putrescente statuam viri formo-
si effingant, eamq; clavo alligent parieti & adorent, reliquam
partem ligni in foco coquendis panibus absumant. Quæ omnia
per hypotyposin Spiritus S. introducit, ut idolatrarum cæcita-
rem ac miseriam in ipsa luce palpitantium depingat, & omnia
idola verè Elilim, hoc est, nullitates & vanitates esse ostendat.
Similia testimonia extant Esa. 41. vers. 6, 7. & 46. vers. 6. Je-
rem: 10. vers. 3.

XXIX.

*Statua sta-
tuam ado-
rat.* Eòdem referenda est descriptio idolorum, quæ Psal. 115.
proponitur; simulacra gentium argentum & aurum, opera ma-
num hominum, os habent & non loquuntur, oculos & non
vident, aures & non audiunt etc. Similes illis fiunt, qui faciunt
ea, & qui confidunt in eis. Item Deut. 4. vers. 20. Sunt Dij
hominum manu effecti, qui non vident nec audiunt, nec come-
dunt, nec odorantur.

XXX.

Emphatica quoq; sunt idolorum Epitheta quæ leguntur,
2. Sam.

2. Sam. 5. vers. 6. Opinio inter gentes Iudæis cohabitantes erat, Ierosolymam idolorum suorum præsidio salvam & immunem fuisse, quò minus in potestatem Israëlitarum veniret; Ejus sententiam sic refert scriptura: Dicitur est Davidi, Non ingredieris huc, sed repellent te cæci & claudi; Ita nimirum vocat scriptura Iebusæorum idola propter impotentiam.

XXXI.

Propheta Habacuc cap. 2. vers. 18. ut idolorum vanitatem irrideat, vocat ea מַלְאִכִּים חַלְלִים hoc est, idola muta per concinnam paronomasiam Hebraici sermonis: Hinc Paulus 1. Cor. 12. vers. 2. inquit: Currebatis quondam ad simulacra muta.

XXXII.

Memorabilis porro est Paulinæ idolorum περιφρασις, qua 1. Cor. 8. vers. 4. inquit: Scimus, quia idolum nihil est in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus. Discernit Apostolus in imaginibus seu idolis, id quod sunt, ab eo quod esse judicantur.

XXXIII.

Priori respectu idola vel imagines sunt sanè formæ & materiæ respectu aliquid, nimirum vel mente conceptæ notiones, vel etiam imagines in materia aliqua artificis manu fabrefactæ, ligna, lapides, aurum, argentum, colores &c. Sed hac ratione idola nullius aut certè exigui sunt precij, longeque viliora quoque vis animante, nedum homine, in quo vita est & motus. Ac si ipsis aliquis inesset sensus, ipsa hominem factorem suum essent adoratura, dicente Lactantio lib. 2. cap. 2.

XXXIII.

Posteriori respectu qui principalis est, quo idola considerantur secundum id, quod a suis cultoribus esse putantur, planè nihil sunt: etsi enim illis aliqua divinitatis vis ab impijs idolis ascribitur, aut aliqua arcana conjunctio & respectus ad τὸ τυπὸν suum ineptè affingitur: Tamen cum illæ notiones falsæ sint, consequitur idola per se nihil esse in mundo, præter imaginationes vanas & fallaces hominum mente corruptorum, ac proinde statuum Iovis Olympij plus non habere religionis, quàm simiæ aut æfimi. Et sic de idolis judicare Apostolus ait, quotquot unum verum Deum agnoscunt & confitentur.

B

35. Sed

XXXV.

*Idola sunt
dæmonia.* Sed cum hac extenuatione idolorum & imaginum, pugnare videtur assertio Paulina 1. Cor. 10. vers. 20. Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Si idola & statuæ gentium dæmonia sunt, non videntur sanè nihil esse.

XXXVI.

*Idola sunt
Schedim,
hoc est,
vastantia.* Assertionem hanc Apostolus transcripsit ex Mose Deut. 32. vers. 17. Immolaverunt dæmonijs & non Deo, dijs quos ignorabant. Eadem phrasis repetitur Psal. 106. vers. 37. Immolaverunt filios suos & filias dæmonijs. Emphasis est in Hebræa voce שִׁדְמוֹת quæ significat vastatores, eo quod idola animabus æternum exitium attrahant, doctrinam de vero Deo penitus destruant atq; evertant, & in hac quoque vita cultoribus suis plus vastitatis & detrimenti, quàm utilitatis afferant.

XXXVII.

*Eph. 7.
vers. 2.*
2. Thef. 2. Ideo autem idola gentium cum revera nihil sint, dæmonia appellantur, quia vanæ istę persuasiones mentium humanarum de statuarum & imaginum religione & efficacia, nihil fuerunt aliud quàm Diaboli inventa & illusiones. Is enim potens in filijs incredulitatis, cum videret homines à veritate verbi patrefacti deficientes, ad omne genus superstitionis proclives esse, immisit eisdem efficaciam illusionis, ut crederent mendacio, & idolorum cultus varijs prædictionibus & miraculis confirmavit.

XXXVIII.

*exempla
idolorum.* Si quis exempla imaginum de quibus loquitur Dominus in Decalogo desiderat, maximam earum copiam in scriptura sacra inveniet. Alij enim Ethnicorum creaturas ipsas pro numinibus coluere, ut Solem, Lunam, planetas & omnem militiam cæli, sub qua & stellas reliquas & Spiritus bonos ac malos licet intelligere, 4. Reg. 23. vers. 5. Act. 7. vers. 43. Agyptus monstrorum & deorum feracissima præter bovem, telem, crocodylum etiam cepas aliaq; hortensia aliquid numinis habere stultè arbitrata est. Persæ ignem ex sacrificijs cæli accensum asservatum religiosè coluerunt, qua superstitione haud dubie etiam infectus fuit Abraham, qui in Vr Chaldæorum servijse Dijs alienis dicitur, Ios. 24.

XXXIX.

Alij imagines ex quacunq; materia & quacunq; arte factas
 divinis prosecuti sunt honoribus, idq; duplici ratione: Imperiti
 enim in vulgo ipsis statuis tanquam dijs adhæserunt, ipsi sanè
 statuis non multum dissimiles: Sed cordatiores Deorum naru- *Vulgi de
 idolis sen-
 tentia.
 Psal. IIJ.*
 ram, inventa, & apparitiones sic oculis objici & ipsos Deos in
 statuis coli censuerunt. Tales imagines olim fuerunt Bel, Baal,
 Moloch, Astaroth, Dagon, Chamos, Rimmon, etc. Vitulus in de- *Cicero de
 Nat. Deo-
 rum, lib. 8.*
 sero, duo vituli in Dan & Bethel, Imo etiã serpens æneus man-
 dato Dei fusus, postquam ei superstitionis aliquid opinione ho-
 minum accessit. Et plura idolorum nomina ex historia sacra
 attento lectori colligere non est difficile.

XL.

Hæc consideratio appellationum & descriptionum, quib; *Conclusio
 primi mē-
 bri.*
 Spiritus sanctus in textu sacro verba Decalogi de imaginibus &
 sculptilibus passim illustrat, primò ostendit, Deum in Decalo-
 go loqui de toto imaginum genere, sive ea mente & imagina-
 tione sola concipiantur, sive artificio manuario efformentur. *Uq; confi-
 derationis
 appellatio-
 num.*

XLI.

Secundò, Docet Deum complecti in genere imagines o-
 mnium rerum quæ in cælo, in terra, in aquis, & sub terra sunt,
 adeoq; nihil esse in toto universo, interq; omnia condita, quod
 ab hac lege solutum sit.

XLII.

Tertiò appellationes & desc ip siones istæ ostendunt ori-
 ginem idolorum, quod nimirum sunt mentium, & manuum hu- *Philoso-
 phi irri-
 dent idola*
 manarum opera, conceptæ imagines & sculptilia manufacta:
 unde vel ipsa ratio etiã non collustrata regenerationis luce
 potest agnoscere nihil illis divinæ virtutis aut efficacæ inesse,
 sicut dicitur, Esa. 41. vers. 24. Ecce vos scilicet statuae & Dija-
 lieni, estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo, quod non est: abo-
 minabilis est, qui elegit vos.

XLIII.

Postremò nomina idolorum eorundem vanitatem arguunt,
 & miseriam omniũ qui in ijs spem habent repositam ostendunt: *Idola sunt
 res nihili.*
 dum vocatur Elilim, res nihili; dum Theraphim, dicuntur men-
 dacium locuta; dum umbris conferuntur, & vocantur imagines
 non ad vivorũ auxilia sed mortuorũ monumenta pertinentes.

De Prohibitionis sententia.

XLIIII.

Dictum est parte præcedenti, Deum vocabulis Pefel & Thēmuna in genere comprehendere omnes imagines quarumcunq; rerum, live mente conceptas, five artificis manu expressas. Nunc quid de illis constitutum reliquerit breviter ex verbis textus eruemus: Sunt autem tria membra prohibitionis in hoc præcepto: Primò, *Non facies tibi* sculptile aut imaginem &c: Secundò, *Non adorabis ea.* Tertiò, *Non coles.* Posteriora duo membra etsi coincidere videntur: tamen perspicuitatis causa ideo distinximus, cum posterius latius pateat priori: Est enim omnis adoratio, cultus quidam, sed non contra,

XLV.

*Non faci-
enda ima-
gines.* Prohibet igitur Dominus imagines & sculptilia facere, & complectitur non tantum aliquarum rerum, sed omnium quæcunq; uspiam sunt, quæq; cogitari ac nomine exprimi possunt imagines, sicut parte prima est demonstratum: Deinde omnem faciendi modum, quocunq; is nomine veniat: Sive quis mente sola talem imaginem concipiat, five eam arte aliqua expressam oculis objiciat,

XLVI.

*Restrictio
primi mē-
bri neces-
saria.* Perspicuum itaq; est, omnem imaginum facturam divinitus prohibitam, & nullum omnino modum, materiam objectum, artificiumve exceptum esse. Ac nisi declaratio aliqua hujus præcepti extaret, non est dubium omnes imagines in genere, qualescunq; eæ & quocunq; loco positæ sint, simpliciter prohibitæ esse.

XLVII.

*Vis φαν-
τασίας
naturalis.* Quia enim humana mens vim habet divinitus impressam, qua rerum absentium ideas effingit, in phantasia exprimit, & quotidie hac imaginativa utitur, & in omnibus tam divinis quam profanis negocijs per conceptas animo formas ac similitudines rerum agit, idque naturali quadam facultate præstare potest sine peccati vitio: Non est vero consentaneum, legem Dei loqui in genere de omnibus imaginibus quocunq; sine conceptis:

ceptis : Neq; enim Dei Lex naturam ipsam destruit & evertit.
Ut qui in mathematica doctrina audit, solem esse rotundum cor- *similia*
pus ejusq; themuna, hoc est, imaginem mente concipit, atq; in *exempla*
tabula depingit, ut se aliosq; doceat : is, nisi præceptum de ima- *petãur ex*
ginibus aliqua limitatione restringatur, id ipsum facto violavit, *Physicis.*
& æternæ maledictionis reus erit : qua ratione omnes discipli-
næ atq; artes tollerentur è medio, & homo bruto similis red-
deretur.

XLVIII.

Quod si omnino legem hanc universaliter & indetermi-
natè de imaginum prohibitionem loqui velimus ; Tum necessario
ad distinctionem Legis Moralis & Ceremonialis redeundum
erit : Ita quidem, ut idolorum prohibitionem Legis esse mora-
lis, at imaginum in tabernaculo aut templo Iudaico collocatio-
nem Lege Ceremoniali Iudæis prohibitam statuamus : Idque
propter summam istius populi φιλεδώλς ad idolatriam præ-
pensionem, quam Dominus modis omnibus præcavendam
censuit.

XLIX.

Sed veram interdicti sententiam, ex consideratione *finis*
ostendit secundum & tertium præcepti membrum ; Estq; hoc
immutum fundamentum etiam adversariorum confessione :
Imagines neq; efficientis, neq; materiæ, neq; formæ respectu,
sed ob certum quendam finem prohibitas esse,

L.

Eum declarant verba Iehovæ : Non adorabis sculptilia, *Imagines*
neq; coles ea. In Lev. cap. 26, vers. 1. expressè Dominus osten- *propter fi-*
dit hoc solo respectu prohiberi imagines, ne fiant videlicet ad *nẽ quendã*
adorationem & cultum. *prohibita.*

LI.

Prius verbum Hebræum Schachava, hoc est, incurvari re-
spondet Græco προσκυνῆν, & complectitur tam adorationem
veri Dei, quæ fit vel corde tantum vel simul externo gestu, pro-
cidente coram Domino : quàm reverentiam quæ exhibetur ho-
minibus, quando illis assurgitur : Hoc loco utrumq; gradum
cultus prohiberi sciamus. Idola enim externo corporis gestu,
vel etiam interna animi devotione coli vetat Dominus.

*Idololat-
ria sunt
Diaboli
serui.*

LII.

Altera vox Hebræa Abad servitutem in genere notat, quæ transfertur ad idolatras; quia hi sunt miserrima mancipia suarum opinionum & Diaboli, dum sub idolis pictis vel sculptis, vel etiam de rebus naturalibus pravis persuasionibus sola mente conceptis, Deum se colere arbitrantur, Diabolum ipsum adorant.

LIII.

*Duplex
genus ido-
lolatricæ.*

Ad hanc servitutis classem pertinet utrumque genus idolatricæ: crassum videlicet & subtile: Illud vulgi fuit & adhuc est, tam apud Ethnicos, quam apud Pontificios, hærentis in ipsis statuis aut imaginibus, eisdemque aliquid numinis inesse existimantis.

LIV.

Hoc Sapientum est huius seculi: qui dum errorem vulgi agnoscent, interim tamē arbitrantur, Deum verum hac ratione vel sub hac illave imagine rectius coli, seque facilius ab ipso exaudiri, quam absque tali cultu: Sanctos quoque, ante istas imagines, vel in istis, vel apud eas invocatos promptius opitulari.

LV.

*Externus
cultus
imaginum.*

Ad societatem idolorum quoque referenda sunt duo genera servitutis seu cultus: Alius enim est internus in corde, nimirum fiducia, spes & invocatio &c.: Alius externus, quo homines Deum aut Sanctos placare cupientes, eorundum imagines & statuas prosequuntur, quod quam variis fiat modis genuflexione, capitis apertione, salutatione, cereis, vestitu, floribus, corollis, altaribus, suffitu, aliisque ineptiis & anicularum deliramentis, quibus pontificum audacia religionis vendicavit titulum, longum foret hoc loco recensere.

LVI.

*Notanda
Emphasis
vocis.*

Est ergo finis ob quem in decalogo prohibita sunt imagines & statuae, superstitio, qua vel aliquid religionis & divinæ virtutis ipsis ascribitur, vel per ipsas & in ipsis falsa numina sancti homines & angeli vel Deus ipse religiosè invocantur. Atque hoc ipsum Emphasis verborum importat: *Non facies tibi sculptile*, nimirum ut id religiosè venereris, vel in eo aliquam pietatis partem sitam existimes.

LVII.

Omnes itaque imagines quibus quocunque modo aliquid super-

superstitionis adhæret, siue eæ sint rerum naturalium, siue artificialium, siue cœlestium: his verbis Domini prohibitæ censentur, ne fiant, neve vel ipsæ vel earum εὐτίμα internis animi motibus vel externis honorum ornamentis afficiantur.

III.

De Discrimine Imaginum licitarum & illicitarum.

LVIII.

Ex hac declaratione interdicti divini facile cuius est intelligere discrimen imaginum prohibitarum & licitarum. Id enim ab earum fine & usu petatur necesse est. Quæ enim imagines cultus causa pictæ & factæ sunt, eæ ut superstiosæ, divinæ prohibitionis fulmine prosternuntur: Si quæ vero alium ob finem fiunt aut factæ sunt ad alios usus, eæ neque voce divina, neque rectæ rationis iudicio unquam fuerunt prohibitæ.

Imagines licitæ propter alios usus.

LIX.

Tales usus imaginum propemodum sunt in omnibus disciplinis: in Grammaticis literarum quarundam Hebræarum figuræ a rebus ipsis petitæ a doctis iudicantur. In hieroglyphica scribendi ratione, quæ adhuc hodie in quibusdam regnis orientalibus in usu esse dicitur, imaginibus rerum & sententiarum argumenta exprimentur.

Vide Pet. Moss. hist. Ind. lib. 9.

LX.

In Logicis species designat notionem secundam mente conceptam: Ut qui semel camelum vidit, imaginem animo impressam circumfert, eamque deinceps singulis eius speciei individuis applicat: In Rhetorum scholis quid aliud sunt hypotyposes & prosopopœiæ, quàm quædã imagines verbis inclusæ quæ auditorum animis tanquàm res in oculos incurrentes obijciuntur?

Logicorū & Rhetorum imagines.

LXI.

Quanta porro sit figurarum atq; imaginum in Astronomica & Geometrica disciplina, In Physicis, in descriptione partium humani corporis, in historia animalium & herbarum utilitas facile intelligitur ab omnibus.

LXII.

In Politia imaginum in signis militaribus, in moneta, in insignibus familiarum, in delineatione rerum fortiter præla-
req; gestarum, in ornamentis ædium publicarum & privatarū
multisq; alijs ea est utilitas, ut prolixè eam commemorare neq;
necesse sit, neq; hujus instituti ratio patiatur.

LXIII.

Quorsum hæc inquis? Ut novatorum stulticia innotescat
omnibus, qui dum imagines minimè supersticiosas meritò tem-
plis ejectas affirmant, omnium imaginum usum ab Ethnicis in-
troductum fingunt.

Verant-
wortung
p. 56. 57.

LXIII.

Propius itaq; nunc ad institutum accedamus. Vocatur in
controversiam quæstio, utrum in templis Christianorum liceat
habere imagines? Negatur thema ab adversarijs, idque ex hoc
fundamento; Non facies tibi sculptile aut ullam imaginem.
Cui Principio hæc affingitur conclusio: Omnes igitur imagines
originaliter Ethnicismum sapiunt, hoc est, idolatriæ fermento
sunt infectæ, & per consequens templis ejiciendæ.

Thema
cōtrover-
sum.

LXV.

Huic commento in publico scripto oppositus est necessa-
rius imaginum usus in omnibus propemodum disciplinis. Vnde
hoc lectori perspicuum est, Non debuisse adversarios indiscretè
& universaliter ex verbis Domini concludere.

LXVI.

Vident hoc ipsi, qui de imaginibus in Ecclesia litem reno-
varunt, unde in posteriori suo scripto, cujus imposturæ brevi in
lucem apertam protrahentur, ajuat, se non in genere omnium
imaginum usum sublatum velle (cujus tamen contrarium pri-
mus illorum infelix partus manifestè probat) sed tantum se in
cultu Dei nullas imagines ferre posse (beim Gottesdienst.)

Anseitig.
wie man
etc.
Cochurng
Calvinia
nus.

LXVII.

Potest hæc ipsorum limitatio verbis Domini addita primò
de ipso cultu Dei intelligi: cujus respectu certum est omnes o-
mnino imagines quarumcunq; rerum ita esse prohibitas, ne vel
Dei essentiam repræsentent, vel ullam partem divini cultus
constituant. Hoc cum utrinq; sit extra controversiam, ad præ-
sentem novationem excusandam nihil omnino facit.



LXVIII.

Verum sanè est in agnitione cultu & adoratione veri Dei, *Imagines non sunt pars cultus Dei.*
sive ea fiat publicè sive privatim Matth. 6. mentem non debere defixam esse in aliquam imaginem cujuscunq; rei, sive oculis oppositam, sive in phantasia conceptam, cum nihil horum, quæ nos animo complectimur divinam constituat essentiam.

LXIX.

Alia sententia verborum istorum est, ut per ea intelligatur locus, in quo colitur Deus, Ex eo enim remotas volunt imagines. Et hoc sensu Reformatores novi imprimis triumphant, *Inepta interpretatio Calvinistica.*
sed admodum ineptè.

LXX.

Adorationem Dei cultum esse non negabis opinor? Cedo, *Anleitig p. 24.*
ubinam Deus est adorandus? Num quid non in omni loco Ioh. 4.? Nonne æque in conclavi atq; in templo in itinere, in ocio, in negotio? Quare ex omni loco, quæcunque removendæ imagines? At hoc prius ab illis negatum.

LXXI

Si phrasin istam de eo tantum loco, in quo publicè ad prædicationem verbi & Sacramentorum administrationem convenitur, velint intelligi, Textum & scripturam nobis monstrari *Diverse sunt thesauri: Imagines non sunt faciendæ.*
petimus διαγγέλλειν hac de re loquentem. In verbis Domini nulla loci mentio est, sed universalis omnium imaginum prohibitio, quocunque loco sint positæ, in mente hominis vel in monte aliquo, in foro vel templo, in æde vel ædibus, in ara vel arca. *Non sunt in templis locandæ.*
Nusquam enim Dominus vult tolerari idola.

LXXII.

Omissa igitur notorij hujus commenti pleniori confutatione, ad propositam quæstionem distinctè respondemus. Si de *Veræ responsio ad thema propositum.*
imaginibus superstitiosis, hoc est, de idolis propriè sic dictis quaeritur (quales autem hoc nomine intelligamus, patet ex capite præcedenti) nullas omnino hoc fine mente concipi, vel arte exprimi debere: Sin factæ aut fictæ sint, eas quatenus tales, neq; in templo, neq; in ædibus privatis, neq; omnino ullo in loco, ferendas esse.

LXXIII.

Sin de imaginibus pictis vel sculptis, quibus historiae sacrae sunt expressæ, vel quæ alioqui memoriae causa sine ulla superstitione

stitutione sunt, quæritur, perspicuum est, eas tanquam res medias, quarum liberrimus usus homini relictus est, pingi aut non pingi posse, in templis collocari posse, vel non, pro ut cujusvis Ecclesiæ & hominum ratio postulat.

LXXIII.

Hæc in specie videntur pugnare cum Lev. 26. vers. 1.

Ita Iosue posuit lapidem in sanctuario Domini in testimonium fœderis iſti cum Deo, Ios. 24. Samuel erigit lapidem ad iutorij, 1. Reg. 7, & altare erigitur, à quibusdam Israelitis ad ripam Iordanis, in testimonium societatis cum hæreditate Domini, Ios. 2. Aeneus serpens ultra annos 700. servatus in populo Dei, inde à Salomone usque ad Ezechix temporibus: Num. 21. 4. Reg. 18.

LXXV.

Superstio Morbo animi est non imaginis.

Duo autem membra hoc loco distinctè sunt consideranda. Primò, Diligenter attendendum est, quod Lutherus monet superstitionem & abusum non esse in ipsa imagine, sed in animo intuentis, cui si prava opinio fuerit exemta, eadem imago, quæ antea erat lege divina prohibita, eidem fit res libera.

LXXVI.

Vt statua Iovis & Apollinis, quæ homini Ethnico idolum fuit, hoc est, imago divinitus prohibita: Eadem Paulo Apostolo nihil est, 1. Cor. 8. Statua Mariæ Pontificio alicui est idolum, quod cultu ac devotione singulari colitur: Christiano rectè informato nihil est, nisi lignum in figuram hominis pulchrè sculptum.

LXXVII.

Pons idolorum.

Hinc facile æstimari potest, idola quatenus idola sunt, non $\pi\sigma\omega\tau\omega\varsigma$ nasci in pictorum aut sculptorum officinis, sed in hominum male de Deo, ejusque cultu informatorum mentibus, quæ si rectè sint ex fundamentis verbi Dei institutæ, nullum omninò ab idolorum imaginibus Ecclesiæ imminet periculum. Ita in Bibliorum codice pinguntur Dagon, Philisteorum idolum, Moloch, Milchom, aliaque monstra, in perpetuam sui ignominiam, sine ulla præcepti divini violatione.

LXXVIII.

Historicus usus imaginum idolarum.

Ac possunt sanè cujusmodi tabulæ, complectentes idolorum Ethnicorum imagines etiam publicè collocari, si quis miseriginum idolarum hominum à Diabolo excæcatorum conditionem hoc patricarum. Et oculis intuentium subjicere velit, quemadmodum Theophilus

lus

lus statuum cujusdā idoli retinuit, propter memoriam fædis- *Socrates*
mæ gentium idolomania. *lib. 5.*

LXXIX.

Alterum quod aliquam cautionem requirit, in specie concer- *Theod.*
nit imaginem Dei, Christi & sanctorum omnium, & crucifixi. *lib. 5.*
Nam de his tribus in specie prolixè adversarij declamitant, eas- *cap. 22.*
que indifferenter accusant impietatis, idolatriæ, falsi testimonij, *De imagi-*
Arianismi, & Nestorianismi. *ne Dei.*

LXXX.

De singulis itaque breviter vera sententia est explicanda.
Principid, si quis imaginem, quæ Dei ἑσώου representet, pingere
velit, ut, si quis Anthropomorphitarum secutus opinionem exi- *Contra*
stimet Deum in sua essentia os, oculos, manus, brachia pedes a- *Anthropo-*
las &c. habere, is manifestè impietatis reus arguitur, Deut. 4. *morphi-*
Esa. 40. *tas.*

LXXXI.

Et si enim membra hæc Deo per ἀνθρώπων ἑσώου in scriptura
tribuuntur; Tamen ea non Dei essentiam, sed ejus inexplicabi-
lem δύναμιν καὶ ἐνέργειαν exprimunt. Est itaq; hoc utrinq; ex-
tra controversiam, Dei essentiam nulla imagine representari
posse aut debere.

LXXXII.

Deinde si non de Deo qualis is est in natura sua, sed de reve-
lationibus ejusdem agitur, improprie & catachresticè Deus
pingi dicitur, quando eæ res in quibus se revelavit depingun- *Quæstio*
tur. Hic nascitur quæstio, utrum res talis in qua Deus se sanctis *de Dei*
conspiciendum præbuit, sine violatione mandati de imagini- *imaginibus*
bus pingi possit? *explicata.*

LXXXIII.

Vt clarius perspici summa quæ sit possit, exempla revelatio-
num considerentur. Apparuit Dominus sanctis Patribus in for-
ma hominis peregrinantis, Gen. 18. in imagine ducis armati, Ios.
5. forma viri insidentis folio, Esa. 6. Deus Pater in imagine anti- *Imagines*
qui dierum, Dan. 7. Spiritus S. in specie columbæ, Matth. 3. pte *quibus*
rea visus est Dominus in rubo ardente, Exod. 3. in columna nu- *Deus se*
bis & ignis, Exod. 14. Ac scriptura hac loquendi formula utitur, *revelavit,*
ut quando has imagines sanctis ostensas refert, Deum eisdem
apparuisse & visum esse confirmet.

LXXXIII.

Quare utrum ejusmodi imagines, quibus Deus ipse se conspiciendum præbuit, historico sensu pingere liceat, in quaestione est. Nos affirmativam tuemur, eamq; operosa probatione minimè indigere apud omnes rectè judicantes arbitramur.

LXXXV.

*Historicus
usus ima-
ginum Dei*

Cum enim reliquas scripturæ historias & acta pingere liceat, nulla justa causa proferri potest, quæ has Dei visiones adumbrare veteret. Si enim hominem ipsum qui viva est Dei imago depingere licet, quare rubum ardentem, columbam, ducem exercitus armatum, senem solio insidentem aliasq; formas, quibus Deus ipse se quasi pinxit & sensibus hominum quodammodo objecit, in memoriam talium apparitionum exprimere non liceret? Neq; tamen de imagine picta dicendum, quod sit Deus, cum tantum sit quædam delineatio ejus formæ, in qua Dominus quondam sanctis se conspiciendum præbuit.

LXXXVI.

*Objectiones
adversariorum.*

Nec obstat præceptum de imaginibus: Finis enim diversitas omnem hanc dubitationem in fumos dispellit, Rubus enim ardens non ideo pingitur, ut Deum ipsum ejusq; essentiam exprimat, ut adoretur, aut colatur, sed ut rem olim gestam intuentibus in memoriam revocet.

LXXXVII.

Multò verò minùs ad rem facit quod ipsam veram imaginem rubi, aut hominis, aut columbæ in qua apparuit Dominus, pictores exprimere nequeunt: Nam & hæc difficultas finis diversitate monstrata evanescit: Non enim ideo pingitur rubi ardentis imago ut illius individui, quod Moses in deserto vidit, viva atq; expressa imago exprimat, sed tantum ut historia ipsa in genere oculis aspicientium objecta, menti recurat.

LXXXVIII.

*De Christi
& sanctorum
Imaginibus.*

*Nova
subtilitas.*

De Christi & Sanctorum imaginibus, quæ passim in templis, bibliopolijs, libris, privatisq; ædibus cernuntur, novatores isti scribunt, eas non modo cum prima tabula pugnare, hoc est, cum præcepto de imaginibus, sed etiam cum secunda, cum falsum testimonium dicant, eò quòd nemo eorum, qui Christum in carne, Prophetas & Apostolos viderunt, nunc superstes sit: Adeoq; ejusmodi imaginem tam esse Christo adversam, ac si principum

cipum aliquis suæ imagini larvam asini attributam videat. O argutam subtilitatem. Siccine viros doctos & quidem Principum Theologos atque aulicos novarum reformationum auctores, cælestibus illuminationibus illustratos, vicinarumque Ecclesiarum superbissimos censores disputare æquum est? Sed ad rem.

LXXXIX.

Puerile & ineptum est Sophisma ludens fallacia *παρὰ τὸ μὴ αἶνον ὡς αἶνον*. Nos cum historias & personas sacras imaginibus exprimi licere dicimus, ad generalem earum ἀνάμνησιν respicimus, quam sub quavis imagine hominem referente fieri posse certum est. *In historico usu differentia imaginū.*

XC.

Illi ad cuiusvis individui & lineamentorum omnium accuratam representationem respiciunt, quam desiderare in hac vita curiosi est, polliceri temerarij. Sed hoc *ἔστιν πρὸς διόνοσον*: Cum Nicephoro lineamenta Christi describente, aut cum Monachis de Veronicæ linteo multa garrimentibus novatores isti disputent, nos missos faciant.

XC I.

Tandem crucifixi Christi imaginem, quam se ex animo odisse ipsorum Prophetæ & coriphœi dicunt, novatores isti scribunt, Ariana & Nestoriana hæresi infectam esse, & qui eidem patrocinantur, ὑπερλόνη alere. Itane ob imagunculam Iesu crucifixi, tam grandem hæresium dicam nobis impingitis? *De imagine crucifixi: Beza Coll: Momp: p. 418.*

XC II.

At quænam hujus subtilitatis ratio? Quia nimirum Sola Christi humana natura in cruce pingitur, atque ita sola pro nobis passa fingitur, & Christus non Deus sed homo tantum esse statuitur. Gratias vobis agimus & habemus, quod vel tandem veritati testimonium inviti & inscientes dedistis.

XC III.

Novit universus Christianus orbis, quanta acerbitate doctrina de reali communicatione idiomatum libro Concordiæ comprehensa ab adversarijs fuerit exagitata: Quanto conatus propositio illa: Sola caro Christi est passa à Nestorianismi vera accusatione defensa. *Novatores sibi laqueos iniiciunt.*

XCIV.

Nunc miseri sorices suo se produnt iudicio & miseram mu-
tamq; imagunculam Christi Crucifixi eo nomine Nestorianis
mi accusant, quod solam Christi carnem in cruce pendentem
ostendat. Hoc itaq; ambabus ulnis acceptantes in ipsorum jugu-
lum retorquemus, intrepidè affirmantes, adversarios eò quod
solam Christi carnem pro nobis passam scriptitare non eru-
buerunt, Nestorianæ hæreseos cæno & sordibus planè absorp-
tos esse.

XC V.

*Differunt
res & pi-
ctura.*
*Caluina-
na subtili-
tas.*
Ad Christi crucifixi imaginem verò quòd attinet, ea tum
denuum verè accusari poterit, si omne id quod videtur & pingi-
tur, non alia ratione se habet, quàm qua videtur & pingitur: Pi-
ctor non nisi corpus Christi in cruce pendens exprimit. Iohan-
nes Apostolus oculis corporeis non nisi Christi corpus vidit in
cruce pendens: Nestorianus proinde uterq; fuerit? In imagine
Aristotelis nihil cernitur rationis aut acuminis, Aristoteles igitur
αλογος fuerit. Subtilem sane concludendi tationem, quatuor
terminis ridiculè incedentem, Ineptijs his adversariorum omis-
sis, crucifixi imaginem ipsis unice exosam, liberè libenterq; re-
tinemus absq; hæreseos crimine.

XC VI.

*Utrum in
tēplis col-
lecandæ
imagines.*
Sed utrum in Templis imagines istæ collocari debeant
dubitatur: Dictum jam ante est, nos libertati hoc permittere
Christianæ. Est enim in Ecclesiæ potestate oratoria sive templa
imaginibus ornare utilibus & historicis, remotis fabularum,
ineptiarum ac libidinum vestigijs: Quis enim talia vel in priva-
to pariete lubens ferat?

XC VII.

*Vfus ima-
ginum hi-
storicarū.*
Et habent sanè historiæ sacræ depictæ, præter ornatum
hanc quoque utilitatem, quod intuentem de re gesta commone-
faciunt, & rudium informationem, factam per verbi prædica-
tionem quodammodò adjuvant.

XC VIII.

*Cavenda
utrinq; ex
irema.*
Quare quicumque censent imagines eiusmodi vel necessa-
riò in templa inferendas, ut Papistæ, vel easdem necessariò
templis eijciendas, ut Calvinistæ & Mahometani, hi utrinque
vim

vim inferunt libertati Christianæ, & conscientias doctrinis ac
commentis hominum temerè constringunt.

IXC.

Hanc libertatem afferimus Veterum quoque exemplis:
Nam Deus ipse duos Cherubim aureos in Sancto Sanctorum
collocari voluit: Non est itaque verisimile imaginum facturam
aut collocationem in templis Deo simpliciter adversam esse.

C.

Ad eundem modum Dominus ob vitulum in deserto fu-
sum irascitur populo: Ob duodecim boves templo illatos Salo-
moni non indignatur. Causam diversitatis superstitio & cultus
constituunt, illi attributus, his negatus.

CI.

Postea vero cum degenerarent Iudæi à pristina sinceritate *Hypocri-
sis Calui-
niana &
Pharisa-*
ad hypocrisin Pharisaicam, cæpta est lex de imaginibus expli-
cari Calviniano more generaliter, quod nimirum omnino nullæ *Pharisa-*
imagines essent ferendæ, ut videre est apud Ioseph lib. 18. cap. 4. *ca.*
& II.

CII.

Non ea fuit Pauli mens, qui vectus navi, imagines Ca-
storis & Pollucis, præferenti, eas non deicit tumultuariè, ut *lib. 17. an-
quondam Ierosolymitani Herodis aquilam auream: sed tolerat, tiquit. cap.
& doctrinam de vero Deo interim auditoribus instillat. Ita 8.
Christus imaginem Cæsaris in moneta non improbat Matth. 22.*

CIII.

Ex superiori tractatione perspicuum est, Duplex in vni-
versum esse imaginum genus, Licitum & Illicitum, Et hujus *Illicite*
quidem generis imprimis sunt superstitiosæ & idolatricæ inter-
dicto Dei prohibitæ. Nec non impudicæ, quæ ad libidinem pro-
vocare spectatorum animos possunt, quæ neq; in publico neq;
privato loco sunt ferendæ, *imagines.*

CIV.

Ad classem illicitarum quoq; referendæ videntur fabu-
læ ex Lugenda Sanctorum in templis depictæ, in quibus eva-
nescit finis historicus & didacticus, & relinquitur solus colorum
ornatus, nequaquam tanti æstimandus, ut propter eum orato-
ria figmentis Monachorum scaterere debeant.

Verun-

*Imagines
fabulariū
Monasti-
carum
quē usum
babeant.*

CV.

Veruntamen ut quondam Theodosius Imperator & Theophilus Episcopus Alexandrinus quasdam idolorum statuas, restimonium de majorum fædisima idolomania posteritati dicturas reliquerunt. Ita quædam imagines ex Sanctorum Calendario depictæ eo consilio asservari in templis poterunt, ut majorum nostrorū cæcitas & tenebræ papatus magis innotescant hominibus nostri seculi: Idque eo nunc videtur magis faciendum, quo Iesuitæ impudentiores sunt in superiorum seculorum erroribus partim negandis, partim excusandis.

CVI.

Si quis hoc tempore Iesuitis objiciat, Pontificios olim docuisse, Mariam virginem in cælum assumptam mediam inter Deum Patrem & Filium in ipso Deitatis throno collocatam esse, Impudentissimè id à suis unquam dictum, scriptum, probatumve negabunt, sed contrarium loquitur muta pictura, quam nobis haud semel videre licuit publicè in templis collocatâ à majoribus nostris.

CVII.

Hujus conspectus nunc quidem in tanta doctrinæ luce spectatorum offendit neminem, multos autem de miseranda majorum cæcitate, de Pontificiæ catervæ mendacijs & fraudibus, deque ingenti beneficio repurgatæ doctrinæ cœlestis, nec non de Iesuitarum impudentissima mentiendi libidine utiliter monet.

CVIII.

Quare diligentia digna esset principibus viris & Ecclesiarum præfulibus, colligere singulis in locis ejusmodi fabularum & mendaciorum documenta ad Monachorum Esaviticorum effrenem licentiam redarguendam apprimè necessaria.

IIII.

*De certamine veterum propter imaginum
usum in Ecclesia.*

CIX.

PLurimum lucis affert huic negotio consideratio certaminis antiqui de imaginibus, quod Ecclesias orientales gravissimè afflixit:

afflixit : Id qua occasione motum sit, & quæ in utramq; partem fuerint agitata, quam potero brevissimè simplicissimeq; exponam.

CX.

Constat inter omnes nullam in primitiva Ecclesia de imaginum usu disceptationem fuisse, & causa est in promptu. Nullas enim tum ferebant imagines in templis, neq; Dei, neq; Sanctorum, ne conversi ex Paganis occasionem haberent lapsus, sed ut sine idolis aut imaginibus discerent Deum in spiritu & veritate adorare.

In primitiva Ecclesia nullus imaginum usus.

CXI.

Hoc ipsum quod sibi laudi duxerunt Christiani, ab Ethnicis loco criminis gravissimi ipsis objectum fuit, ut videre est in disputatione Origenis contra Celsum, lib. 7. pag. 927. Ita autem respondent Patres huic accusationi, ut causas abolitarum statuarum solidè exponant, novarum verò quæ à Christianis introductæ sint, mentionem omninò faciant nullam.

CXII.

Imprimis tractatur hæc quæstio de simulacrorum primo ortu, fallacique deceptione apud Lactantium, lib. 2. c. 2. 4. 18. & 19. ex cujus disputationibus planum est, illo tempore nullas omninò in Christianorum oratorijs vel templis imagines fuisse.

CXIII.

Argumenta quibus pugnant sancti Patres contra idolorum imagines sunt ferè hæc, I. Allegant mandatum Dei, Exod. 20. ut Origen: lib. 7. cont: Celsum, I I. Primam ἀγαλματωσιν σιπ ex κακοζηλίᾳ ortam dicunt, qua homines Deum Plasmem imitari ineptè voluerunt. Justin: in Parænetico adversus Græcos, I I I. Inutilem esse omnem cultum Deorum apud statuas, quia ipsi vel absint, vel præsentés sint, Si absint frustra coli eorum simulacra, si præsentés, magis etiam ridendam esse Ethnicorum stultitiam, qui lignum aut lapidem potius, quàm Deum ipsum præsentem honore prosequantur, Lactantius lib. 2, cap. 2. I I I I. Statuas mortuorum esse Ἰννemosyna, August: adversus Faust: lib: II. cap: 17. V. Deum longè castius & rectius coli sine simulacris, August: lib: 4. de Civit: cap: 30. V I. Indignum esse ut homo adoret σοῖνμα suum, cum potius, si statuis mens aliqua esset, hominem factorem suum sint adoraturæ. Lactantius lib: 2. cap. 2.

Argumenta Patris contra idola & cultum imaginum.

CXIV.

His ac similibus argumentis demonstrant imaginum cultū impium, inutilem, homine indignum, ineptum ridiculum, ac proinde meritò à Christianis explosum esse.

CXV.

Quidam Patres etiam historici usum imaginum rejecerunt Et si autem hæc de prohibito imaginum genere rectè disputantur, tamen quidam ex priscis patribus ne historicum quidem usum imaginum recepisse videntur, ne infirmis ab idolorum cultu ad Christi agnitionē conversis labendi ansam præberent.

CXVI.

Qua in re imprimis factum Epiphaniij, velum pictum in vico Bethel in templo collocatum discerpentis, memoriæ perditum est. Id ipsum ostendit, August: lib: de fide & symbolo cap. 7. & de moribus Ecclesiæ lib. 1. cap. 74. Et Canon Eliberitani concilij 36. placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.

CXVII.

Vsus imaginū apud Patres. Nonnulli tamen ex patribus quarundam imaginum minerunt, ut Tertullianus dicit in calice cœnæ Dominicæ expressam fuisse imaginem Pastoris ovem perditam quærentis: Et Eusebius refert, lib. 7. cap. 14. se Christi Petri & Pauli Apostolorum imagines in picturis varietate colorum expressas vidisse; Recitat præterea historiam de æneis statujs Christi & mulieris hæmorrhousæ super editum lapidem collocatis, quas fatetur se vidisse, Eas verò aliquo cultus genere fuisse honoratas negat, Sed per Iulianum apostatam dejectas, & à gentilibus odio Christi accensis fuisse comminutas testatur Sozomenus, lib. 5. c. 20.

CXVIII.

Fuisse itaq, tempore Patrum aliquas Christi & Apostolorum imagines pictas, aut quavis alia arte expressas, sed non receptas in templa certum est: Ac imprimis id docet historia Constantini Magni, qui etsi magnificè Christianorum templa ornavit, nullam tamen imaginem in templis collocavit, plurimas verò in Palatio, in medio foro, atq; in plateis, quibus historiæ sacræ, aut signum crucis fuerunt expressa.

CXIX.

Sed tandem in templa quoque receptas esse imagines historicas perspicuè patet ex Gregorio Nylleno oratione de
Theo-

Theodor: Martyre, qui inter reliqua, hanc sententiam genera-
lem ponit, Solet etiam pictura tacens in pariete loqui, maxime-
que prodesse. Atq; hic usus imaginum sextæ synodi decreto est
confirmatus.

CXX.

Et si autem paulatim accessit vulgi superstitio vel imagines
ipsas adorantis, vel *πρωτότυπα* ad imaginem eorum, Tamen
hæc superstitio in initio graviter fuit reprehensa à sanctis Patribus,
ut patet ex Gregorio Magno, lib. 7. Ep. 10.

CXXI.

Postea verò exarsit triste & cruentum certamen in oriente
de usu & cultu imaginum: Quidam enim Episcopi cum anim.
adverterent imagines vulgò adorari, vel ante eas homines pro-
cumbentes adorare, Zelo accensi omnes in universum imagines
templis eiecerunt, aut deleri iusserunt, & adversæ partis Epi-
scopos ac doctores (inter quos etiam fuit Damascenus) quos
vocarunt, *εικονολάτρης* damnarunt: Fueruntque ab illorum
partibus etiam Imperatores Philippicus, Leo Isauricus, & Con-
stantinus, qui deletionem & abolitionem imaginum, idolatricum
earundem cultum tollere voluerunt.

CXXII.

Et Constantinus quidem convocata Synodo Constantino-
polim Anno Domini 755, litem dirimere voluit, in qua non
tantum adoratio & cultus, sed imagines ipsæ simpliciter sunt
damnatæ.

CXXIII.

His opposuerunt se Pontifices Romani, non argumentis,
sed excommunicationibus fulminantes, & practicis Italicis suo
more orientis Imperiū conturbantes; Cumq; post mortem Con-
stantini Irene vidua tutorio nomine præesset imperio, & cum
Pontifice Adriano conspirasset, convocata est alia Synodus Ni-
cæam anno 783. ubi sine ulla disceptatione ex præscripto Papæ
decretum est, imagines ex mandato Dei in Ecclesia necessarias
esse, easdem osculo, veneratione, cereis, suffitu, salutationibus,
aliisque honoribus colendas. Omnia itaque templa imaginibus
impleta sunt.

p. 314
Vixit cir-
ca Annum
Domini
380.
Anno Do-
mini 680.
Cultus
imaginum
reprehen-
ditur.
Synodus
iconoma-
chica.
Synodus
iconola-
trica.

CXXIII.

Cruenta certamina de usu imaginū. Filius eius Constantinus postquam adolevit abrogato matri imperio, imagines vicissim ejecit: Sed mater instructa artibus Papalibus filium dolo captum excæcatum & carceri inclulum occidit. Deinceps Leo Armenius imagines à Michaële secundo restitutas vicissim ejecit, & in ἑικονολάτρειᾳ crudelissimè sævijt, eiusque exemplum imitati sunt Michael Balbus, & Theophilus. Tales isto seculo fuerunt de imaginum usu disputationes, cruentæ nimirum, quas ut nostro tempore Dominus clementer avertat, rogandus est.

CXXIV.

Postea cum Pontifex Romanus acta septimæ Synodi vellet ubique recipi, convocata est in Germania Synodus Francofordiana anno 794. Quæ controversiam inter Græcas synodos, Constantinopolitanam & Nicænam ita diremit, ut utramq; extra regiam viam declinasse ostenderet: Illa enim simpliciter omnes imagines reiecit, easq; penitus abolevit: Hæc easdem necessarias esse & adorandas decrevit.

CXXV.

Francofordiana Synodus. Synodus itaque Francofordiana mediam ostendens viam, non damnat ipsas imagines, neque earundem utrum historicum, nec eas sine discrimine templis eiicit, Sed earum adorationem ac cultum improbat.

CXXVI.

Idolatrix ac imaginum cultus confirmatus. Cum vero Pontifices Romani nihil ad summam nequitiam ac malitiam reliqui facerent, omnes sibi contradicentes dolo ac vi opprimerent, & imaginum cultum ad alendas vulgi superstitiones & venandos nummos utilem arbitrarentur, tandem ipsorum audaciæ celsit Ecclesia, Antichristi jugo onerata: Atq; inde factum ut omnia templa idolis implerentur & statuarum cultus atque adoratio Christianos nulla in parte Ethnicorū superstitionibus esset inferior.

CXXVII.

Membra ex historia notanda. Hæc eò annotare vitium fuit ut perspicuum evadat I. Ecclesiam primitivam usu imaginum in templis caruisse. II. Paulatim propter usum historicum easdem receptas & approbatas, atq; etiam templis illatas fuisse. 3. Crescente hominum superstitione, Episcoporum ignavia, & Papæ tyrannide earum cultū cæpisse

cæpisse, 4. Horrenda & cruenta certamina de earundem adoratione in Ecclesia fuisse mota & sæpius renovata, eis que ultra 150. annos Orientis Ecclesiam gravissimè perturbatam. 5. Non rationibus vel solidis fundamentis, sed tyrannide Papæ Romani ea tandem fuisse terminata, & stabilitam imaginum idolatricam adorationem.

CXXVIII.

Ex collatione certaminum facilis est dijudicatio quomodo ad huc utrinq; peccetur ab adversarijs, tam Papistis, quàm Calvinianis, quorum illi veteres imitantur iconoclastas, hi iconoclastas. Pleniorum historiarum recitationem petant qui volunt ex Ecclesiasti histor: Cent. 8 cap. 9. & ex Exanime Concilij Trident. D. Chemnitij parte 4. in Decreto de imaginibus.

V.

De Pontificio imaginum cultu.

CXXIX.

Mirum sanè est, in tanta doctrinæ cœlestis luce Papico-*Impuden-* las horribilem statuarum & imaginum idolatriam hætenus *tia Papi-* tueri & verbo Dei congruentem asserere non erubuisse, cum *starum.* nemo ferè sit, qui nesciat multiplici idolomania istum imaginum cultum, quocunq; vestiarur integumento scatere.

CXXX.

Ideo Apocalypsis Synagogam Romanam appellat meretricem Babylonicam, quia nimirum frons illi est erubescere nescia, & quia amisso vero sponso suo cum idolis & suis inventis turpissimo adulterio sese polluit.

CXXXI.

Sunt autem multi nostro seculo in ea opinione, Iesuitas longè cautiores & puriores esse superioris seculi Monachis, multosq; crassos errores abjecisse: Hos roto cœlo errare, Esaviticæ gentis scripta liquidò testantur: Præterquam enim quòd in reliquis omnibus Papæ sunt mancipia, etiam in cultu idolorum & statuarum asserendo insignem meretrici Romanæ operam navant ut videre est in Concil. Trident. sess. 25. & in Roberti Bellarmini disputationibus tom. 1. Cont. 7. lib. 2.

CXXXII.

Themata quæ de cultu imaginum asserunt Papicolæ hæc

D 3

sunt

sunt: Primum, Afferimus imagines Christi & sanctorum honorandas esse, modo in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur ulla divinitas, sed solum honoretur propter eos, quos nobis repræsentant.

CXXXIII.

Cap. 21. Secundum: Imagines Christi & sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens & improprie, Sed etiam per se & proprie, ita ut ipsæ terminent Venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.

CXXXIV.

Cap. 22. Tertium: Quantum ad modum loquendi, præsertim in Concione ad populum, non est dicendum imagines ullas adorari debere latria, sed è contrario non debere sic adorari.

CXXXV.

Cap. 23. Quartum: Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli improprie vel per accidens eodem genere cultus quo exemplar ipsum colitur, Estque cultus qui per se imaginibus debetur imperfectus, analogicè pertinens ad speciem eius cultus, qui debetur exemplari.

Cap. 25.

CXXXVI.

Ad hæc capita reduci potest tota disputatio Papistarum de cultu imaginum, quorum primum concernit τὸ ὄντι quod sint colendæ. Secundum, modum, quod videlicet per se & proprie sint colendæ. Reliqua Formam cultus, quod videlicet dulia et latria analogicè colendæ sint, sed hoc posterius populo non esse revalandum.

Imagines
latria colendæ.

CXXXVII.

Habes amice lector ἀνάγνωσις Papisticæ doctrinæ de imaginum cultu, quam proposuisse est confutasse, ut de hæreticorum dogmatibus dici solet: Nec instituum hac vice prolixam horum deliriorum confutationem, quam ex D. Chemnitij examine Concilij Tridentini studiosi petant, Illius enim scripti fundamenta inconvulsa hætenus reliquerunt Monachi.

CXXXVIII.

Notanda interim veniunt quædam capita in ipsis Iesuitarum positionibus cuius obvia: Primò enim Contradictio manifesta est primi & secundi thematis: dum illud imagines
Solum

Solum proptet eos, quos repræsentant honorari ait, hoc eadem propriè & per se coli & non solum ut gerunt vicem exemplaris. Hunc scriptorem spiritu vertiginis agitari quis non videt?

CXXXIX.

Ad hanc excecationem accedit dolus, quem in tertia propositione animadvertere licet: Sentiunt enim analogicè & reductivè imaginem Christi eodem adorationis cultu honorandam, quo ipse Christus adoratur & colitur. Sed hoc populo non esse revelandum. Siccine Esavitæ scelera vestra occultari cupitis, ne lucem aspiciant? O bis miserum populum qui vos lupos p[re]satores & doctores habet.

Horribiliss
blosphe-
mia et ido-
lo mania.

CXL.

Argumenta Iesuitarum pro stabiliendo imaginum cultu planè eadem sunt, quæ quondam Adriani Papæ legati in Synodo septima ad quam Conciliabulum Tridentinum provocat, protulerunt, 1. Imagines Cherubin necessariò adorabantur ab eis qui arcam adorabant. Respond: Principium petunt Esavitæ: nam neque arca adorari debuit neque Cherubin eidem impositi, Sed Deus habitans in propitiatorio, atque inde responsa dans adorabatur.

Argumē-
ta pro
cultu ima-
ginum.

CXLI.

Quòd autem Sancta in veteri Testamento adorare iussi sunt versa facie ad propitiatorium, quod fuit super arcam, id totum fuit typicum, representans Christum verum propitiatorium. Preces enim nisi in Christi fiant nomine, eiusque nitantur meritis & intercessione, non sunt Deo acceptæ. Nunc verò in Novo Testamento in omni loco Patrem adorant sancti in spiritu & veritate Ioh. 4.

Quare
Sancti in
veteri te-
stamento
inter orā-
dum re-
spexerint
ad arcam.

CXLII.

2. Serpens æneus elevatus cum salutem afflictis afferret non potuit non honorari. Responsio. Fallacia causarum est in argumen-

Typus serpentis. argumento. Non enim elevatus est ut honoraretur, sed ut ab omnibus videri posset, salutem non per se attulit, sed Deus hoc typo monere voluit de Christo exaltando salutem allaturo omnibus ab infernali serpente lethaliter ictis & in se credentibus Iohan. 3. Sed hoc quid ad cultum imaginum in Novo Testamento postquam umbræ legis cessarunt? Heb. 10.

CXLIII.

3. Creaturæ quædam honorantur propter relationem ad Deum, ut adoretur scabellum pedum ejus. Psal. 99. Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, Matth. 5. Similem relationem habent imagines, igitur eadem ratione sunt colendæ. R. Fallacia est παρά τὸ κατὰ ἕκαστον μὴ ἀπὸ πάντων. Ex particulari enim concluditur particulare. Ad hæc creaturæ honorantur propter Deum autorem & creatorem: Qua ratione imagines honorandæ erunt propter earundem pictorem, vel in eis artifex ipse colendus, quod omninò est absurdum.

CXLIV.

Quod vero est Dei scabellum? Terra Esa: 66. v. 1. Matth. 5. v. 36. Terra ne igitur secundum Papistatum opinionem erit adoranda? Erroris hujus causa est ignorantia: Scabellum enim pedum Domini dictum fuit etiam templum & arca Domini, eo quod verbo suo & promissione illis se alligasset & quasi solium ibi posuisse videretur, ut monstrant loca Thren: 2. vers: 1. 1. Paral: 28. vers: 2.

CXLV.

Adorare scabellum pedum ejus. Psalmista itaque non vult vel terram ipsam vel templum Domini religioso cultu adorari, sed respicit ad ritum adorationis populo Dei usitatum, quo ut ante est dictum adoraturi faciem ad templum Domini & in eo ad arcam convertebant, quia ibi præsentia & patetactionum suarum testimonia illustrata Dominus edebat. Ideo dicitur in Hebræo: Adorate ad scabellum pedum ejus. Augustinus de humana Christi natura, in qua ὁ λόγος una λατρεία adoratur hoc dictum intelligit. Sed hæc nihil ad Iesuitarum institutum faciunt.

CXLVI.

Pergit Iesuita: Nolite jurare per cœlum. Ergo imagines sunt colendæ: Quia qualis est relatio inter cœlum & Deum, talis est inter imaginem Christi & ipsum Christum, Primò hoc falsum,

sum, quia prius ex ordinatione divina est, posterius ex humana
esse. Collatio quoque falsa est, quia cœlum non refert imaginem
Dei, quemadmodum pictura imaginem Christi ostendere dici-
tur. Tum si maximè concedatur, quid inde concluditur? Per
cœlum non licet jurare. Ergo statuæ sunt adorandæ. λῆς ☉.

CXLVII.

Creaturæ dicuntur sacræ propter relationem ad res sacras:
Imagines Christi sunt institutæ ad significandas res sacras. Cur
ergo eas honorare non liceat? Resp: Fallacia est τὸ ἐπομένον
cum & plus & aliud concludatur, quàm præmissæ patiuntur.
Digna sunt Papicolarum idola, quæ ejusmodi defendantur ar-
gumentis.

CXLVIII.

5. Conciliorum autoritas affertur. Sed concilia non possunt
sine verbo Dei nova gignere dogmata, nec stabilire idola. Et *Concilia*
contraria sunt his quæ Papistæ allegant, Concilia, de quibus su-
pra dictum est.

CXLIX.

6. Patrum autoritas profertur: Inter hos antiqui secernendi
sunt à recentioribus: Prisci enim illi Patres quàm iniqui fuerint *Patres*
cultui imaginum, supra breviter est annotatum. Recentiores ut
Damascenus & alij patrocinantur eidem, quemadmodum &
multis alijs erroribus sui sæculi. Et in genere videndum est, nō *Cyprianus*
quid hic vel ille dicat: sed quid, qui ante omnes est, Christus ser-
vandum præceperit, est attendendum. Christus verò & Apосто-
li nihil de imaginum cultu tradiderunt.

CL.

7. Miraculis per imagines factis earundem cultum probant *Miracula*
Esauitæ. Ineptissimè sanè: Sciunt enim etiam Ethnicorum ido-
lis multa tribui miracula & sermones, neque tamen inde conse- *Lactant.*
quitur, Ethnicorum idola religiosè colenda esse. Et de Antichri- *lib. 2.*
sto prædixit Apóstolus, quod multis signis & prodigijs menda- *cap. 8.*
cibus homines sit decepturus. Denique ut miracula verbo adjun- *2. Thes. 2.*
cta aliquid valent ad stabilienda dogmata: Ita sine eo nihil. Nā
in quæstione de cultu Dei simpliciter est inhærendum divinæ
patefactioni, secundum dictum: Lucerna pedibus meis verbum *Psal. 119.*
tuum. Item: Ad verbum & testimonium. *Esa. 8.*

CLI.

8. Homo dignus est veneratione, quia est imago Dei. Ergo
etiam imagines Christi & sanctorum sunt honorandæ.

E

9. Imago

9. Imago Regis civiliter est honorabilis. Ergo imagines Christi & sanctorum sunt honorabiles cultu religioso. R. De cultu Dei judicandum est non ex consuetudine hujus seculi, sed ex verbo patefacto, in quo non modo nullum de cultu imaginum extat præceptum, sed etiam expressa prohibitio.

CLII.

*Fall. est
causarum.* 10. Idola gentium execramur & confringimus, quia sunt imagines falsorum Deorum; Igitur imagines Christi & sanctorum honorandæ, quia res verè sanctas & bonas significant. R. ἀληθινὴ ἀφεστὸς ἐπιεικὴ. Vera abolitionis idolorum causa est, quia sunt divina autoritate prohibita. Non facies ullam imaginem neque ejus quod in cælo est, (ut Christi, sanctorum, & angelorum) neque ejus quod in terra, ut hominum, aut sub terra sunt, ut piscium, ut adores aut colas ea; Exod. 20. Lev. 26.

CLIII.

*Inepta
ratio di-
sputandi.* 11. Omnes iconomachi (sic Bellarminus vocat omnes qui statuarum cultum & adorationem damnarunt) fuerunt homines scelerari & hæretici, Samaritani, Necromantici etc. Ergo Iconolatræ sunt Christiani. Resp: Elias subvertit idola Baal, confrimiliter Iosias & Iosaphat; Imò Ezechias evertit imaginem Christi, æneum videlicet serpentem, incenso à superstitionis cultum. Idem fecere alij præstantes viri, qui idolatricum imaginum usum taxarunt & idola everterunt, qui haud dubiè fuerunt meliores omnibus Adrianis, Gregorijs, dementibus, Malefacijs, Nocentijs alijsq; monstris triplici corona insignitis.

CLIV.

Ecc. 9. 12. Postremò omnes iconomachi miserè perierunt, iconolatræ floruerunt opibus & potentia. Resp: Hui quam firmum hoc & planè Iesuiticum argumentum. Ex eventu rerum terrenarum neque de pietate vel impietate hominum, neque de cultu Dei est judicandum. Et tamen falsum quoq; antecedens, quod Mahometani iconoclastæ declarant.

CLV.

*Pontificij
peccant
contra
præceptum.* Hæc sunt, candide lector, Bellarmini fundamenta, quibus cultum idolatricum imaginum superstruit. Quibus opponimus unicum sed immotum arietem legis divinæ, cuius impetum hæc verè pictæ & imaginariæ munitiones non sustinebunt: Non

Non facies tibi sculptile, aut ullam imaginem, non incurvabis te, nec servies eis. Non tantum prohibet ne pro Dijs idola habeantur, neve ab ipsis idolis aliquid petatur, sed in genere omnè illorum cultum, quocunque nomine appelletur disertè vetat. Credendum autem magis Vni Deo veraci, quàm Monachorum turbæ fallaci.

VI. De abolitione Imaginum Calviniana.

CLVI.

SEmp̄ humanum genus à vero timore Dei proclive fuit ad idolatriam: Superest enim in mentibus hominum etiam absque ullius doctoris opera, scintillula Legis divinæ docens esse Deum, homini merendum ac reverenter colendum. Sed quisnam ille sit, & qua ratione coli velit, id verò non nisi ex divina patefactione sciri potest, quam repudiantes Ethnici in multas & horrendas tenebras opinionum & cultuum conjecti pleniq; superstitione, in statu verum Deum adumbrari & coli sunt arbitrati.

Origo idolatriæ.

CLVII.

Et quia hæc pestis sæpissimè etiam Ecclesiam Dei invasit, atque infecit, Deus singulari clementia ac bonitate subindè excitavit viros præstantes pietate ac doctrina, eosque armavit donis & autoritate, ut Ecclesiam ab idolis repurgatam pristino nitori restituerent, quales in Veteri Testamento fuerunt Patriarchæ, Prophetæ ac pius Magistratus quorum opera extirpandis idolis Deo placuit & Ecclesiæ fuit salutaris.

Reformationes Ecclesiæ.

CLVIII.

Sic Iacob purgavit Ecclesiam suam domesticam abolitis & sepultis idolis, Genes. 35. vers. 2. Moses vitulum aureum in pulverem redegit, Exod. 32. vers. 20. Gedeon statuam Baal, Iud. 6. vers. 25. Aza idolum Miplezeth 3. Reg. 15. vers. 12. Ezechias & Iosias omnis generis idola, 4. Reg. 18. & 23. Et multa sunt exempla hujus generis, Iud. 10. 1. Samuel. 4. Reg. 11: vers. 18.

E 2

Extant

CLIX.

*Mandatiū
de extir-
pandis
idolis.*

Extant quoque expressa huius rei mandata: Exod 23. v. 24. Non adorabis Deos gentium, sed destrues eos & confringes statuas eorum. Exod. 34. v. 13. Aras eorum destrue, statuas confringe. Deut. 7. v. 5.

CLX.

De Regno Christi vaticinantur Prophetæ, quod in eorum omnia idola funditus sint peritura: ut Es. 2. v. 18. In die illa abijciet vir idola sua argentea & aurea, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. Mich. 5. v. 13. Perire faciam sculptilia tua & statuas de medio tui.

CLXI.

*Idola tol-
lenda.*

Ex his fundamentis planum est, eos in Ecclesia Christiana rectè facere, qui debito ordine ac modo idola ac scandala manifesta tollunt.

CLXII.

*Duplex
ratio ido-
la abrogā-
di.*

Quia verò supra dictum est: idola duobus modis considerari, primò secundum id quod in se sunt, ratione materiæ vel formæ; nimirum picturæ vel statuæ certarum rerum imaginè referentes: Secundo respectu eius quod esse existimantur, nimirum vel Dij ipsi vel Deorum signa, quibus ipsi adsint; & in quibus seu ad quæ sint invocandi, Ideo duplex quoque hinc nascitur abrogationis modus.

CLXIII.

Prior est qui tollit externum εἰδωλον seu ipsam imaginem ac statuam idoli alicuius, eamque comminuit aut Vulcano consecrat: Relinquit verò in mente pravam opinionem ac superstitionem de idolis eorumque cultu: Hæc tantum est umbra reformationis, & idolatriæ externæ in internam commutatio.

CLXIV.

Posterior modus abolitionis idolorum est, qui tollit ex mente hominis superstitionem ac pravos opiniones de Deo eiusque cultu, eamque ex verbo Dei rectius edocet ac informat de veris cultibus Deo placentibus. Hic quando per Spiritus Sancti gratiam finem suum assequitur, verè tollit ac comminuit idola. Ita quidem ut is qui antea Iovis aut Baalis statuam summè est veneratus, rectius institutus eandem pro ligno aut lapide æstifret. & vel comminuat, vel ludibrij causa ad usus ridiculos ac ineptos

ineptos reservet: sicut Theophilus quasdam statuas idolorum in ollas ad usum pauperum redegit.

CLXV.

Hinc videre est quæ sit sententiarum inter Lutherum & Carolstadium discrepantia: Vterque enim docet idola tollenda esse, & quidem utroque abolitionis modo, Sed Lutherus Spiritu Dei excitatus, cœlesti doctrina prius animos hominum de veris Dei cultibus rectè erudiri voluit, à statuis & imaginibus nihil deinceps fore periculi arbitratus, Quarum tamen aliquas cum offendiculo conjunctas, & nihil utilitatis Ecclesiæ afferentes, à Magistratu & ministerio tolli: reliquas tanquam res liberas retineri posse censuit.

*Triplex
sententiarum
differentia.*

*I
Lutheri de
tollendis
imaginibus
methodus
& sententia.*

CLXVI.

Carolstadius ordinem hunc invertit, & spiritu ambitionis, hypocriseos atque invidiæ incitatus, initium reformationis à demolitione statuarum fecit, eoque ipso multis de toto Reformationis opere malè loquendi ansam præbuit.

*Carolstadii
methodus. Hunc
spiritum
tribuit illi
Phil. Mel.
in præfat.
lib. de vet.
sent.*

CLXVII.

Eandem methodum retinent omnes eius discipuli Calvinianæ factioni addicti: quorum prima cura est statuas demoliri, imagines Christi ac Sanctorum everfas petulantissimè tractare: quasi tum Ecclesia à Pontificio fermento bellè sit purgata.

CLXVIII.

Lutherus quidem gladio Spiritus, hoc est verbo idola aggreditur, eaque quantumvis auro argentoque nitentia sordibus viliora reddit. Spiritus Caluini ferro ac bipenni rem commodius tractari posse arbitratur.

CLXIX.

Agimus autem h. l. de veris idolis hoc est de eiusmodi statuis & imaginibus, quibus olim in Papatu honores habiti, ante quas ad Christum & sanctos preces ac vota concepta.

*Lutherus
discrimen
imaginum
servat
Carolstadius
negligit.*

CLXX.

Sed Carolstadii furor minimè in his conquievit: Verum insuper imagines, quarum usus historicus absque omni superstitione Ecclesiæ poterat deservire, removendas censuit, eoque perperam detorsit præceptum Domini de imaginibus: Lutherus verò ostendit præceptum de imaginibus loqui propriè de idolis: Quod si superstitio fuerit imagini detracta, si ea ad com-

inonefactionem historiae sacrae sit utilis, sique neminem recte institutum offendat, posse eam liberè retineri in Ecclesia pronuntiavit. Atque hæc secunda est sententiarum discrepantia.

CLXXI.

Lutherus ordinem in tollendo requirit: Carolstadius eundem invertit.
Tertia est in modo ac processu tollendi idola et offendicula manifesta. Carolstadius plebeculam seditiosis concionibus commovit, ut imagines sine ordine iudicio ac discrimine tumultuariè cum maximo infirmorum offendiculo removeret, quod factum Vitebergæ Anno Domini 1522. Lutherus si quas è medio tollendas iudicavit, id de sententia ministerij per Magistratum, sine turba aut populi commotione fieri voluit.

CLXXII.

His molitionibus ut fucum faceret Carolstadius, seseque imperitæ venditaret turbæ, revelationes jactitavit divinas, quibus se cœlitus edoctum talem suscepisse emendationem doctrinæ turpissimè est mentitus.

CLXXIII.

Novationes Anhaltinorum,
Idem ille spiritus superiori anno revixit in vicinia nostra, excitatis Calvinianis doctoribus, qui in laudatissimo Principatu Anhaltino, post tot annorum Reformationem, cornicum oculos configere, imagines minimè idolatricas templis eijcere, aliasque Ecclesias orthodoxas propter historicum usum imaginum insigni *μωροκακία* petulanter convicijs proscindere ceperunt.

CLXXIV.

Vtrum novatio ista fuerit necessaria,
Facti huius rationem paucis exquirere libet: Nam necessariam hanc novationem aut non necessariam fuisse fateantur necesse est. Si hoc: Malè igitur factum, quod in re non necessaria tantæ excitantur turbæ. Sed haud opinor hoc adversarios dicturos: Contrarium enim scripta ipsorum testantur.

CLXXV.

Si itaque necessaria fuit hæc innovatio, tum hætenus in istis Ecclesijs vera & divinitus prohibita idola fuisse certum est: Aut enim agnoscunt iniconoclastæ discrimen inter imagines historicas & idolatricas aut non: Si non agnoscunt nec probant, utiq;

utique merito à nobis scriptum fuit, eos ridicula imperitia omnes imagines pro damnatis ac vetitis habere. Si recipiunt, & historicas quidem ferendas, idolatricas removendas ajunt, atq; ipsi nuper aliquas templi ejecerunt, eas in idolorum censu fuisse certum est.

CLXXVI.

Cumque idola prohibita primò non sint ipsæ statuæ & imagines, sed pravae opiniones mente de eisdem conceptæ, gravantur profectò Ecclesiæ Anhaltinæ à proprijs suis doctoribus hac suspitione quod ante hanc novellam Reformationem idolatri plenæ fuerint. Id enim nisi concedatur, supervacaneum erit novationis institutum.

*Calumniæ
novatoris
quod in
Anhaltinæ
Ecclesijs
hætenus
fuerint
idolatriæ.*

CLXXVII.

Hoc posito, qualis ante hæc tempora novatorum fuerit scientia & conscientia in informanda Ecclesia idolatrica quære re lubet: Aut enim ipsi doctores istarum Ecclesiarum idolatræres ipsi simul fuerunt, quod nos quidem planè arbitramur (cum mentem opinionibus Calvinisticis ac idolatricis fascinatam ac corruptam habeant) Sed ipsi non sunt concessuri: Aut novatores quidem alieni fuerunt ab omni idolatria, Sed tamen auditores habebant idolis servientes, & in templis docebant idolorum imaginibus plenis.

*Novatores
ipsi fu-
erunt ido-
latræ, aut
insidi pa-
stores.*

CLXXVIII.

Scientes ne, an inscij id fecerint, quæris? Audi quid scripti- tent: Aiunt se cælesti raptu, sine cuiusquam monitu divinitus illuminatos, ad Novationis opus pertractos fuisse. Dicunt, II. Spiritum illum (scilicet iconoclasticum) non ubique spirare; ac proinde multos ab hoc Novationis instituto esse alieniores, P. 38. quibus nimirum Spiritus ille nondum spiravit.

*Erunt
raptu P.
II.
Anleitig
P. 38.*

CLXXIX.

Cum itaque in suis templis vera fuisse idola fateantur, necessariò concluditur, insignem ac stupendam fuisse doctorum Ecclesiæ in illis locis vel insitiã in non agnoscendis, vel negligentiam in taxandis vel collusionem & hypocrisin in venerandis idolis.

Sed

CLXXX.

1.
Calviniana
turba
fallit ho-
mines.

Sed merus fucus est, candide Lector, ad fallendos imperitos comparatus, quicquid hujus rei ab adversarijs profertur. Diu conceptam Calvinianam hæresin Ecclesiæ propinare cupientes, priusquam id facerent, patientiam hominum aperiendi decreverunt, in abrogatione rituum usitatorum, & introductione Calvinianorum.

CLXXXI.

2.
Technæ
Novatorum.

Quosdam etiam ministros Ecclesiæ, quos furoribus suis obviam ituros existimarunt, honesta specie loco movendos censuerunt: quasi contendendi tantum studio novatoribus nihil nisi ritus aliquos mutantibus se opponant.

CLXXXII.

3.

Facit & hoc ad animorum præparationem, quod Calvinianas Ecclesias ita periphrastice describunt; ut eas solas veras, puras, orthodoxas esse confirment; nostras verò erroribus & multiplicibus sordibus Papisticis deformatas criminantur.

CLXXXIII.

Viri divi-
nitus illu-
minati, nõ
tractant
malas ar-
tes, ad fal-
lendũ com-
paratas.
Novatio
Anhalti-
norum

Hoc cum agant, quod quidem luce meridiana est clarius, & de quo ipsos in conscientijs suis convictos esse, dubium non est: quare non rectà rem ipsam aggrediuntur, & dogmata Calvinistica non tantum in genere (ut hætenus) sed in specie ac nominatim Ecclesijs Anhaltinis invitis ac gementibus obtrudunt?

LXXXIV.

suscepta
in gratiã
hominum,
quibus no-
va cõjun-
ctio sunt
devincti.

Siccine divinis illuminationibus incitati, per cuniculos rem agere, & institutum principale ac dogmaticum silentio involvere consueverunt? Spiritus sanctus, longè alia ratione rem aggreditur, ut exempla Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & Lutheri nostri monstrant. Apostoli enim cum Evangelium de Iesu Christo passim annunciarent; multas Iudaismi Ceremonias patienter tulerunt, teste Apostolica Synodo Act. 15.

CLXXXV.

Neq; sanè Christianæ pietatis est, illis quæ in gratiam hominum suscipiuntur, illuminationes divinas prætexere. Neq; hæ regula sunt fidei vel reformationum; sed sola vox divina norma est, secundum quam errores & scandala ex Ecclesia tollenda sunt.

CLXXXVI.

Proprium hoc habet Spiritus iconoclasticus, quòd revelatio-
nes

nes prætendit instituto suo : Idem enim olim Carolstadius fa-Iconocla-
ditavit cum sua turba, unde eos Lutherus cœlestes Prophetas *stæ jacti-*
appellandos censuit. *tant illu-*

CLXXXVII.

Dictum paucis de instituto novationis; deinceps fundamen-
ta excutienda erant. Quia verò ad ea plenè responsum est com-
muni scripto Collegij nostri, novationibus Anhaltinis opposi-
to, ne actum agere videar, eò lectorem benevolum remitto.

CLXXXVIII.

Conati sunt novatores responsionis nostræ solida fundamē-
ta libello quodam edito infringere, suumq; institutum reforma-
torium asserere; Ex quo quædam ad propositum nostrum spe-
ctantia referemus. *Anticitis*

CLXXXIX.

Possunt autem tribus capitibus non incommodè includi qu-
cunq; de imaginibus cœlestes Prophetæ posteriori scripto infe-
ruerunt; ita ut primum locum teneant calumniæ. Secundum
Sophistica, Tertium Ambitio & hypocrisis.

CXC.

Ad classem primam hæc pertinent :

Primò, Ajunt VVirtebergenses tantum pugnare pro existi-
matione sua, ac proinde manifestos & agnitos errores non vel-
le abjicere. Pag. 38.

2. Eosdem tantum niti traditionib⁹ Patrum, neglecto & spro-
to Dei verbo, p. 39. Hæc manifestæ columniæ non indigent con-
futatione.

CXCI.

3. Affirmant nos expressè fateri, quod in Anhaltina novatio-
ne nihil sit susceptum contra Dei verbum, aut contra pij Magi-
stratus officium. Sed in scripto Collegij nostri demonstratum
est institutum ipsorum fanaticum, hypocriticum & non neces-
sarium esse, ac nasci ex depravata mente scripturæ, & adversari
doctrinæ de libertate & charitate Christiana. *Hæc sanè
pugnant
cum ver-
bo Dei.*

CXCII.

4. Ajunt se priori scripto non in genere omnes imagines im-
probasse : Contrarium loquuntur ipsæ pagellæ & rationes à no-
bis adductæ. Hoc suum erratum etiam agnoscunt, tamen id men-
dacio, quàm ingenua confessione abolere maluerunt, ne recta
monentibus celsisse aut errasse videantur. *Calvini-
starū pro-
prium est
Mentiri,
et Negare.*

F

5. Ne

CXCIII.

5. Negant alios à se hoc nomine damnatos, quod imagines adhuc in templis retineant. Contrarium manifestè liquet ex prioris scripti p. 113. Die sich an ihrer Novation ergern / sind verfluchte Knaben von hundert Jahren: Item. Darumb wo sie nicht busse thun / (hoc est, nisi omnes Calvinianum ἑδ'ελογμα adoraverint) sind sie verflucht. Item p. 110. Die vber die Bilder halten / (hoc est, qui imaginum usum historicum & didacticum in templis asserunt. De cultu enim imaginum hic non disputatur,) werden vor Gott ein schwehr Gericht aufstehen müssen.

CXCIV.

Viri illuminati non sunt mendaces. Aut hoc est homines æternis gehennæ flammis adjudicare, aut adversarij quid sit iudicium & maledictio Dei ignorant. Aut (quia hoc non est verisimile) posterioris scripti notorio mendacio, insignem temeritatem prioris tegere voluerunt, quod utrū deceat viros cœlitus illuminatos aliorum esto iudicium.

CXCV.

Ad secundam classem Sophisticarum argutiarum transeamus.

Et quidem de Ecclesiis nostris Saxonis in specie ajunt, quod in eis sint idola. Probare thesin hanc volunt: In templis Ecclesiarum Evangelicarum adhuc vera & divinitus prohibita idola tolerari; At quibus argumentis?

CXCVI.

p. 38. pag. 22. 1. Forsitan, inquiunt aliqui ex Papatu oriundi inter vos latitant, qui imagines in templis positas adorent.
2. Forsitan Pontificij transeuntes provincias vestrarum Ecclesiarum imagines in templis positas adorent.

CXCVII.

Alienam culpam prestare non tenemur. Hæc sunt facti, & quidem incerti, atq; insurper alieni, cujus culpam præstare non tenemur, quod instantia hæc liquidò monstrat: Solem suum quotidie Dominus exoriri sinit: Atq; tamen non est nescius multos esse, qui ei divinos honores exhibeant: Quare si Novatores in consilium adhiberet, aut Solem ipsum è medio tolleret, aut ejus cultores; cum tamen neutrum horum faciat.

CXCVIII.

Abusus non tollit rem. Proindè si debita accedat diligentia in informanda Ecclesia de fine & usu imaginum, non est quod aliorum sive inscitia, sive impietas ac malitia negocium facessere nobis debeant.

An

CXCIX.

An quia Papistæ abuntur verbo scripto & prædicato, Et omnes hæretici erroris ansam ex scriptura malè detorta desumunt, Biblia sacra quoq; sunt è medio tollenda?

CC.

3. In Evangelicis Ecclesijs honores deferuntur imaginibus à plebeis & literatis; Plebei enim gemunt si eas comburi videant, Literati magnis scriptis eas defendunt.

CCI.

Quæso te, amice lector, putas ne istos homines seriò agere, qui talibus in re seria pugnant argumentis? Nam quod plebei homines gemunt, dum imagines non ad idolatriam, sed ad mediocrem ornatum & recordationem historiarum sacrarum in templis collocatas everti & comburi vident, id non ex reverentia quadam erga imagines faciunt, sed novatorum cæcitatem, ac tyrannidem in Ecclesia grassantem, hæresium novarum pestem ingruentem, miseramq; suã servitutem deplorant, ac Deum ardentibus gemitibus orant, ut Spiritui Sacramentario iconoclastico & hypocritico frenum velit injicere. Hæ sunt veræ gemitus subditorum causæ.

CCII.

Literati scriptis voluminibus imagines defendunt, Ergo eas honorant. Egregium sacræ argumentum: Sed tum demum verum, siquidem quodcumq; aliquis à mendacijs & imposturis defendit, id religioso cultu veneratur. Iudex reum à vi, Deus afflictos à malo tuetur, Ergo hos Deus, illum Iudex veneratur: Sed progrediamur.

CCIII.

4. Fieri potest ut posteri nostri imagines adorent: Quia Baruch, inquit, cap. 5. v. 47. idola posteris scandalum præbere; Et quia vulnus bestię curatum iri testatur, Apoc. cap. 13. vers. 3. Verisimile est papatum aliquando in nostris Ecclesijs vires cepturum, in quo imagines à nobis relictæ adorationi sunt servituræ. Hæc illi.

CCIV.

Deus omen avertat & hos Pseudopphetas confundat. Concludendi ratio frivola est. Si enim posteritas nostra justo Dei iudicio propter ingratitude & contemptum verbi, Calvinianis aut Pontificijs impostoribus aures præbitura est, atque tum eis

rebus quibus nunc rectè & sine scandalo utitur, pessimè abusu-
ra, eius culpæ nulla pars in nos redundare poterit, quorum in
Ecclesia rectè informanda mediocris diligentia, Deo & candidè
judicantibus notà est. CCV.

*Nova in-
terpreta-
tio Apoca-
lyptica.*

Quod autem vulnus bestiae ita curatum iri putant, ut no-
stræ Ecclesiae quandoq; ad Papatus gremium sint accessuræ (de
Euangelicis enim Ecclesijs agitur) id contra Spiritus Sancti
mentem affingitur verbis textus : Quæ vel de Iesuitis curatoribus
Papatus, vel de curatione Politica, seu restitutione Im-
perij Romani per Carolum Magnum rectius, quam de everfa
& collapsa Babylone instauranda intelligi possunt.

CCVI.

*Reforma-
tio tollat
abusum reli-
gionis si o-
pus sit.*

5 Imagines in templis Euangelicorum reliquæ quondam
in Papatu adorationi servierunt, Ergo fuerunt ex mandato Dei
evertendæ Exod. 34. Statuas eorum confringes. Resp : Per ean-
dem concludendi rationem etiam templa erunt evertenda, quia
olim in veteri Testamento templa Baal everfa sunt 2. Par. 23.
v. 17. 4. Reg. 10. v. 27. Reditus etiam Ecclesiarum ad Missas vel
exequias mortuorum decantandas quondam dati, erant retra-
hendi.

CCVII.

Ose. 7. v. 4.

Sed hæc omnia retinent sine scandalo & conscientiae vul-
nere etiam adversarij, abusu sublato. Quare nisi amentia rape-
rentur, & Calviniano Zelo instar camini arderent, facile in
imaginibus quoque usum ab abusu discernent, Eadem enim
imagines, quæ Pontificijs quondam fuerunt idola propter cul-
tum, nostris hominibus rectius informatis tantum sunt com-
monefactiones de personis aut rebus, quarum in sacris literis
fit mentio.

CCVIII.

*Nova di-
sputandi
ratio.*

6 Eiusdem generis imagines sunt in Papatu, & adoran-
tur. Ethnica ratio est colendi Deum per imagines: Ergo cultus
ille Deo est abominabilis. Resp. Disputamus de usu imaginum
historico in templis, Novatores concludunt contra imaginum
cultum idolatricum,

CCIX.

Diximus jam ante, atque id sine Calvinistarum monitio-
nibus, ex Dei verbo per gratiã spiritus sancti didicimus: omnem
imaginum religiosum cultum externum vel internum Deo ab-
ominabilem esse. Sed hinc non sequitur, omnem imaginum
usum etiam historicum & didacticum à Deo esse prohibitum.

Hæc

CCX.

Hæc sunt amice Lector argumenta posterioris scripti : *Ἐπιτελιῶν*
 quæ etsi nullius precij ac valoris sunt ad institutum illorum ob-
 tinendum & tamen quasi debellatum sit, *πρὸς νίκην ἐπιτελιῶν* sibi ip-
 simet Novatores concinunt, & nostram Confutationem, cuius
 fundamenta vix aspexerunt, ineptè extenuant.

CCXI.

*Ad Tertiam classem pertinent inanes gloriationses No-
 vatorum.*

Ajunt enim, Lutherum quidem aliqua & maximè enor-
 mia Papæ vitia correxisse : sed post Lutherum excitatos esse
 diuinitus alios, ad residuas feces penitus everrendas : Vides can-
 dide Lector, quantum sibi novatores tribuant, dum se tanquam
 divinitus ad reformationem excitatos prædicant, & Luthero
 non modo pares, sed etiam superiores constituunt : Siquidem
 quæ ab ipso non fuerint animadversa, ab his oculatissimis acu-
 tissimisque censoribus sunt notata & correctæ.

CCXII.

Zeli vero, quo accensos se gloriantur, per utriusq; scripti
 omnes ferè pagellas illustrata extant documenta : quem tamen *Rom. 10.*
 scientia carere & hypocriticum esse in eorum gratiam suscep-
 tum, quibus Novatores placere student dubium non est.

VII De Ordine præceptorum Decalogi.

CCXIII.

Dictum de præcepto de imaginibus, deq; vera eius sen-
 tentia, & depravationibus utrinq; oppositis : Nunc colopho-
 nis vice quæstionem excutere placet, de numero & ordine præ-
 ceptorum Decalogi, siquidem ea quoq; à novatoribus acerbè
 disputatur.

CCXIV.

Vñ sunt vicini nostri in Principatu Anhaltino hætenus
 Divi Lutheri Catechismo: cuius *καλὴν παρακαταθήκην* cives istius *Artes Cal-
 Ecclesiæ, plerique à Calvinianis delirijs alieni, magno in præ-
 cio hætenus habuerunt.* *vinistarū-*

CCXV.

Hunc libellum, quem cane atq; angue pejus oderunt no-
 vatores, ut manibus hominum excutiant, & Lutheri nomen
 atq; autoritatem (qua integra vident se nihil effecturos) cons-
 vellant, nulla adducti necessitate, accusationem proferunt gra-
 vissimam

Gravis viissimam, qua libellum ipsum imperfectionis, Lutherum tan-
accusatio quam manifestum falsarium, mutilationis & malignæ occulta-
cōtra Lu- tionis impudenter arguunt.
therum
prolata.

CCXVI.

Causam si huius tam iniquæ accusationis quæras, inve-
nies nullam aliam, quàm quod præceptū de imaginibus Luthe-
rus inter verba Decalogi non recitat.

CCXVII.

Sunt enim adversarij in hac sententia, Decem præcepta
Dei eo ordine esse numeranda, ut in prima tabula quatuor in
secunda sex præcepta contineantur: utque præceptum de ima-
ginibus secundum obtineat locum, & duo præcepta de concu-
piscencia conjungantur.

CCXVIII.

Institu: Hanc suam opinionem tanto conatu & fervore defen-
lib. 2. dunt, ut omnes à se dissentientes tanquam legis divinæ violato-
Cap. 8. res & mutilatores æternæ maledictioni adjudicent. Qua in re
Sect. 12. longè superant præceptoris sui Calvini iudicium, qui hac ipsa
de re sic scribit: Nec in divisionem præceptorum noscendam
male studium intenditur, modo eius generis rem esse memine-
ris, in qua Liberum cuiq; iudicium esse debeat, ob quam non
contentiosè cum dissentiente pugnandum. Et sane nos cum qui-
Talis est busdam Ecclesiis orthodoxis quæ istum ordinem præceptorum
Argenti- Decalogi, de quo paulò ante dictum liberè retinent, nec alias
nensis. à se dissentientes damnant, hac de re non contendimus.

CCXIX.

Utriusq; Certum est præcepta Dei vocari Decem verba Exodi. 34.
partis sen- v. 28, Deut. 4 v. 13. & 10. v. 4. Ea; in duas divisa tabulas. Vtrū
tentia. verò verba quæ de imaginibus loquuntur, constituent peculi-
re præceptum, in ordine secundum, atq; utrum quatuor sint
præcepta primæ tabulæ, in quæstione est. Illi hæc affirmant:
Nos etsi de re indifferente non contendimus, tamen neq; no-
vum neq; absurdum aut impium quippiam nos statuere dicim;9
si in prima tabula præcepta tria, in secunda septem numere-
mus.

CCXX.

Verba verò illa, quæ præceptum de imaginibus comple-
ctuntur, continere explicationem quandam primi præcepti,
enumerata certa idolatriæ specie, quæ εἰδωλοποιήσθαι & εἰδωλο-
λατρεῖα committitur, asserimus.

Argu-

CCXXI.

Argumentis adversarij utuntur his; Sicuti Nihil est ver-
bis Domini addendum, Ita quoq; nihil detrahendum: De Le- *Argumens*
ge διαγγέλλει ait Dominus, quod ex ea, ne vnus quidem apex, autta *Nova-*
vnum iota sit periturum: Qui solverit vnum ex mandatis illis *torum con*
minimis, hic minimus erit in regno cœlorum, hoc est nunquam *tra Lube*
in id recipietur. *ri Cate-*

CCXXII.

Sed quis non videt hæc argumenta non cum Lutheri ca- *chesin.*
techismo, sed cum Anhaltinorum calumnia pugnare: Longè e- *3*
nim est aliud verba Legis contrahere in brevem summam, quo
facilius ab omnibus ediscantur, quod nos Lutherum fecisse affir-
mamus, aliud vero est verbo Domini aliquid detrahere, Legem
solvere, & integrum præceptum ex ea expungere.

CCXXIII.

Hoc enim in quæstione est, utrum verba, quæ de Idolis
loquuntur, constituent peculiare præceptum, an vero sint pri- *Anleitnig*
mi præcepti pars & quædam explicatio: Nam cum Deus pro- *P. 28.*
hibet Deos alienos habere, vniuersum genus idolatriæ comple-
ctitur, sub quo etiam idola contineri non negant adversarij:
Et tamen impudenter affirmant præceptum de cavendis idolis *Ibidem.*
à Luthero penitus esse expunctum, ita ut ne syllaba quidem ex
eo restet. Si enim genus est retentum, necessario consequitur
speciem quoq; includam esse.

CCXXIV.

Neq; sanè hoc est mandata Dei plenè retinere, si verba ei-
us retineas sensu perverso, quod Novatores facitare supra est *Pharisæi*
ostensum, Sed integritas legis in vera eius sententia integrè & *solvebunt*
sincerè asserenda consistit. Pharisæos enim Dominus accusat, *legem, re-*
quod mandata Dei solverint, cum tamen non minori Zelo ver- *tentis ver-*
borum apices urgerent, quàm ipsorum discipuli Calviniani. *bis.*

CCXXV.

Habemus quoque Pauli exemplum allegantis quartum
præceptum ad Eph. 6. v. 1. 2. 3. Honora Patrem & matrem tu-
am, ut benè sit tibi, & sis longævus super terram: Hic omít-
tuntur verba: quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, quæ
nimirum ad Israelitas propriè pertinebant, non ad Ephesios,
quibus nulla de possessione terræ Canaan facta erat promissio.
Eadem est ratio procemij in quo verba quædam specialia ad
Israelitas tantùm pertinent. *Possunt*

CCXXVI.

Possunt autem illa duo exempla anagogico sensu etiam Christianis aptari; sed de eo nunc non quæritur, verum de literalis, quem proprium & principalē esse non negabunt adversarij.

CCXXVII.

Quare non is legem solvere aut mutilare dicendus est, qui sententia ejus integra & inviolata, verba quædam Decalogi, interpretationis loco principalibus adjecta, contrahit, aut omittit, sed is qui sensum ipsum legis violat, quantumvis verba omnia integra retineat. Neq; Luthero Catechesin scribenti propositum fuit singula verba Decalogi pueris ediscenda tradere, sed brevē *σύνοψιν* & summam singulorum. Qua in re non commisit peccatum mortale, ut dictitant novatores.

Lutheri
propositū.

CCXXVIII.

Objectus fuit Novatoribus in nostro scripto locus Deut. 5. in quo Moses repetit verba Domini in monte recitata, sed quibusdam omissis & alijs insertis: Objecta fuit Patrum aut præsertim Augustini autoritas: Sed piscibus mutiores sunt adversarij, ubi ad rem est respondendum.

vide lib.
Anleitūg.

Deus pacis & veritatis aperiat optimorum Principū & aliorum præstantium virorum, istius florentis quondam Ecclesiæ mentes & corda; ut vera idola, non in templis suis, sed in novatorum pectoribus posita, blasphemias nimirum de Christi persona, & majestate, deq; Sacramentis opiniones agnoscant, & ad veram lucem ac puritatem Evangelicæ doctrinæ restituendam animum adijciant; Ne Dei ira provocata sibi ac suis exitium attrahant.

Soli Deo laus honor gloria & benedictio in
secula seculorum.

Errata sic corrigantur

Tbes. 19. lin. 5. Gen. 31. Th. 20. lin. 2. Gen. 35. Th. 47. pro enim l. vero Th. 119. lin. 11. mnemofyna Th. 126. lin. 7. pro in l. apud. Th. 30. lin. 7. pastores Th. 175. lin. 8. templis.

Reliqua benevolus lector ipse emendet.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793




Sb.

W19

Hilf.





Propositiones

DE VERBIS IEHO-

VÆ, EXOD. XX. NON FACIES TI-

bi sculptile, neq; ullam similitudinem eorum, quæ sunt
in cælo sursum, neq; eorum, quæ in terra deorsum,
neq; eorum, quæ in aquis sub terra sunt :
Non adorabis ea neq; coles.

*De quibus, divina adjuvante
Gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE

RVNGIC, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTO-

re, & Professore in Academia Vitebergensi, respon-
debit publicè 1. Julij, hora & loco
solitis,

M. HENRICVS TETTELBACH,
Cynocomæus Palatinus.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

gg

